LEONIS XIII

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

VOL. XIII.

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1894

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
GVLIELMO TIT. S. CLEMENTIS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SANFELICE DE ACQVAVELLA
ALFONSO TIT. S. MARIAE DE POPVLO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI CAPECELATRO
ET VENERABILIBVS FRATRIBVS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS CAMPANIAE

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII NOSTRI VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum collatae a Nobis curae ad tutelam fidei prosperos nequeant habere exitus, nisi ea quae tradimus documenta excepta obsequenter a fidelibus fuerint, facile intelligitis, dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, quam gratae Nobis litterae acciderint, quas superiore mense decembri communiter ad Nos dedistis. Praeclare enim in iis elucebat obsequiosa docilitas, qua a vobis et gregibus, quibus praeestis, exceptae sunt binae litterae encyclicae, quarum alteram ad sacrorum Antistites Italiae, alteram ad fideles eiusdem regionis conscripsimus. Communis haec consensio

et prompta ad parendum voluntas magis magisque Nostrum erigit animum et confirmat, ut constanter nitamur refellere hostiles conatus impiorum hominum, qui extremum, si fieri posset, Ecclesiae moliuntur excidium. Auget insuper haec concordia spem quam fovemus, nullas inimicorum fraudes, nullas infensas vires eo valituras ut studium avitae fidei ex animis excidat italorum fidelium. Pergite itaque, dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, praeire fortiter agminibus quae ducenda vobis credidit Deus, ac dignos sublimi ministerio vestro gerentes animos, illud strenue retinete decus, quo gloriari licet vos, inter ipsas res adversas, officio vestro nunquam defuisse. Largam interea caelestium munerum copiam paremque ubertatem optimorum fructuum vobis vestrisque laboribus adprecati, Apostolicam benedictionem, Nostrae dilectionis testem, vobis, clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Ianuarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS PRAEFECTVRA APOSTOLICA HONDVRAS
IN VICARIATVM ERIGITVR

LEO PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Ex hac Beati Petri cathedra, quam nullis quidem meritis Nostris, divino tamen consilio, obtinemus, tamquam e sublimi specula, in omnes Dominici gregis partes oculos convertimus, quaeque in exploratam illius utilitatem cedant, libenti animo, seduloque studio procurare satagimus. Hac mente, cum, ex quo erecta fuit Praefectura Apostolica territorii Honduras Britannicae anno MDCCCLXXXVIII, catholica fides in ea regione, Deo adiuvante, non levia habuerit incrementa, ita ut ibidem nunc adnumerentur catholici ad circa vigintiduo millia, plures extent Ecclesiae decenter ornatae, et utriusque sexus iuventus ab alumnis Societatis Iesu, et a Sororibus a mercede appellatis, christianis virtutibus ac bonis artibus instituatur; ideoque catholici

ipsius regionis cupientes sollemniorum catholici cultus functionum solatio frui, ac simul propriam missionem maiori splendore honestari, enixe Nos flagitaverint, ut Praefecturam Honduras in Apostolicum Vicariatum erigere dignaremur; Nos, quibus nihil antiquius, quam ut in regionibus longo terrarum marisque tractu seiunctis, facilior pastoralis regiminis exercitationi muniatur via, votis huiusmodi, propensa voluntate annuendum existimavimus. Quare exquisitis iure suffragiis actualis Praefecti Apostolici, et Vicarii Apostolici Iamaicensis, precibus catholicorum Honduras apprime conformibus, omnibus momentis attente ac sedulo perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus propagandae fidei praepositis, motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, inspecto statu missionis Honduras, ac pro maiori eiusdem missionis bono, Praefecturam Apostolicam Honduras in Vicariatum erigimus, atque instituimus, eique omnia et singula privilegia ac facultates conferimus, quae sunt Apostolicorum Vicariatuum propria. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tol-

lendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die III Ianuarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
CYRIACO MARIAE ARCHIEPISCOPO VALENTINO
VALENTIAM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iucundum Nobis attulere solatium quae a te perscripta sunt in litteris, die XVI decembris datis, de auspicato tuo in novam dioecesim ingressu, de signis indubiis quibus se prodidit istius populi pietas, deque eius observantia in hanc Apostolicam Sedem. Haec sane Nobis non minus quam tibi gratulationi sunt, certamque Nobis spem faciunt, gregem cui praesides optime responsurum pastorali sollicitudini tuae, teque maiora in dies percepturum gaudia ex fructuosa ministerii tui perfunctione. Hinc etiam fore confidimus, ut grex idem, aemulus pietatis Pastoris sui, nolit ea praetermittere officia, quae constanter a te Nobis exhiberi significas dum fervidas fundis coram Deo preces ut Apostolicam Sedem in pristinam libertatem vindicare velit, Nobisque optatam reddere serenitatem pacis. Ampla

interea et valida tibi adprecantes gratiae caelestis auxilia, Apostolicam benedictionem, Nostrae dilectionis testem, tibi, clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IV Ianuarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO
IVLIO SACCHETTI
PRAESIDI SOCIETATIS CATHOLICAE IVVENTVTIS ITALAE

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOBILIS VIR
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pergratum fuit, te munus nuperrime acceptum, ut Societati praesis iuventutis ex Italia catholicae, non ante ingredi constituisse quam a Nobis quasi auspicia duceres et rata haberes mandata: id quod et rite fecerunt qui ante te praesides, et aequissimum est in ea Societate quae singulare obsequium fidemque Apostolicae Sedi nomine et instituto profitetur. — Iam, ex iis quae significasti hac in re consiliis, talem te nimirum agnovimus ut novum acri animo integrisque viribus ducem, qui aliud nihil meditetur et expetat nisi confirmare copias, augere numerum, inflammare spiritus, edere praelia, conclamare victorias. Similia tu enim in campo virtutis et religionis, incruentis quidem armis, agitas et instruis efficienda: qui, secundum Societatis proposita, iuventutem nostram non

modo iam studes ad ingravescentia tempora munire et roborare, sed praestare eo magis firmam, concordem, ad honestissima quaeque actuosam, fretus Deo, polliceris. Praeclara enimvero consilia, optabiles fructus et singulis et civitatibus! — Itaque ad rem fidenter aggredere. Ut recte habes praescriptum, una mente et amica operâ cum eiusmodi catholicorum coetibus, contende hortari tuos et movere alacres ad officiorum constantiam, ea vel maxime persequendo de quibus Italos apostolica voce et patria caritate recentibus litteris commonuimus. — Quoniam vero gaudere te nuntiasti initia muneris tui anno incidere dupliciter festo, natali quinquagesimo episcopatus Nostri, eiusdemque Societatis vicesimo quinto, Nos ideo tibi hoc a Deo vehementer optamus, ut fluente muneris cursu gaudeas idem et laeteris; atque ita etiam nobilitatem generis et domestica exempla virtute promeritisque exornes tuis. Quapropter, dilecte fili, habe tibi et ampliori Societatis Consilio et sodalibus universis Apostolicam benedictionem, quam, caelestium munerum auspicem, peramanti voluntate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Ianuarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
MICHAELI DE MARIA S. I.
IN PONTIFICIA VNIVERSITATE GREGORIANA
STVDIORVM PRAEFECTO

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Spem de te Nobis ex optimis initiis praeceptam, a te deinceps opera sedula confirmatam, ingenium scilicet ac labores tuos multum valere posse ad S. Thomae Aquinatis doctrinam secundum praescripta Nostra proferendam et illustrandam, exhibita nuper philosophiae volumina probe expleverunt. Tu enim, hoc apud te penitus persuaso quod saepius a Nobis edictum est, tanto meliorem disciplinarum fore rationem, quanto ad doctrinam eiusdem Aquinatis propius accesserit, omne tuum otium studiumque in eo iamdiu collocasti ut veram et uberem philosophiam, quam Peripatetici inchoarunt, Scholastici perfecerunt, ex praecellentibus Aristotelis et Thomae fontibus sinceram peteres, et quam aptissime posses docendo im-

pertires. Ita quum frequentem lectissimamque iuventutem ad illam disciplinam praeclare eduxeris, et alia ei quaedam praesidia subinde paraveris, id praeterea modo egisti ut, scriptis in eadem re editisque operosis libris, et discipulorum fructus ad maturitatem firmares et studiosis late pluribus, in tanta errorum colluvione et sanae inopia doctrinae, prodesses. Quod nobile quidem laborum propositum, si docto cuique viro ad scribendum incitamento est, te permovit quum maxime, eius Societatis alumnum, quae potiorem iuventutis institutionem in praecipuis habet muneribus, quaeque suos tenet sanctiore lege ut Aquinatis doctrinam sequantur ipsam et tradant. Atque amplam tibi gratiam tum qui colunt tum qui profitentur haec studia habituri profecto sunt: te namque ad intimam philosophiam expediente iter, laboriosae rei fidentia plerisque accrescet, ipsisque illis magistris magnis, Aristoteli et Thomae, increbrescente gratia, cognatae quoque disciplinae proficient. Nos equidem tibi gratulamur tale confecisse opus, quod prudentioris iudicii viris admodum probetur, tamquam in genere suo optimum valdeque frugiferum; in quo collaudant merito rerum ordinem et cohaerentiam, perspicientiam veri, refellendi nervos, concludendi evidentiam, sic ut exacuta in errores novos arma veterum prompta suppeditet. Quod si aliis Nos litteris tribuimus tibi laudes de singulari plane studio obsequendi auctoritati Nostrae in philosophia ad mentem S. Thomae instauranda, eas nunc perlibenti animo duplicamus: quippe res tanta est tantique in omnes partes emolumenti, quae

sollicitudinem Nostram ad perpetuas eius progressiones intendat. Iam vero tibi, eum diuturni laboris fructum optanti, ut iuventutis studia et amorem erga Doctorem Angelicum scriptis tuis commovere possis et inflammare, benigne faveat Deus, sapientiae omnisque boni munificus auctor; et quo ad id operis usus es duce ac magistro, eodem apud illum patrono plena vota laeteris. Nos interim tibi, dilecte fili, paternae gratiae et caritatis testem, Apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Ianuarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FRIDERICO EPISCOPO CERVIENSI

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iure tibi laetandum in Domino est, quod, eius auspice gratia, legitimam Cleri Synodum, quam iamdiu cogere optaras, cogere tandem potueris feliciterque perficere. Nos quoque tecum et cum Clero tuo laetitiam coniungimus: quippe de ea re agitur, quae, ut per se ipsa est in munere episcopali gravissima et valde potest ad salutaria Cleri populique incrementa, Nos item proxime attingit, qui universi christiani gregis habemus curam concreditam. — De fructibus inde profecturis spem Nobis optimam faciunt simul explorata pastoralis sollertia tua, simul alacris clericorum omnis ordinis diligentia: qui praeterea, amplis ad Nos extrema Synodo litteris datis, firma declaraverunt proposita, tecum velle ad unum huic Apostolicae Sedi omnino adhaerere, atque Nobiscum plane sentire, agere, sacra praelia animo invicto praeliari. Ad haec

vero, quamquam laudabilia sunt et Nobis gratissima, communes accedant preces oportet, auctori Ecclesiae, Christo, adhibendae, ut istam animorum concordiam Episcopum inter et Clerum arctius ipse obstringat, bonam ipse in singulis confirmet et augeat voluntatem, suggerat ipse vires ad ea quae modo constituta sunt studiose religioseque exequenda. — Interim, Venerabilis Frater, eximium in Nos obsequium tuum atque plenam Cleri observantiam et fidem commendantes, grati etiam de votis pro incolumitate Nostra conceptis, tibi eidemque Clero et populo tuo Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv Ianuarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE XVI IANVARII MDCCCXCIII
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBVS VATICANIS

VENERABILES FRATRES

Conservatrix vitae atque eventuum humanorum moderatrix providentia divina benigne effecit ut, circumacto quinquennio, postea quam initi Nobis sacerdotii natalem non sine magna significatione laetitiae publicae egimus, annum a consecratione Nostra episcopali quinquagesimum auspicaremur. Sentit animus vim beneficii, Venerabiles Fratres; propterea que praedicare gestit in hoc amplissimo consessu vestro summam Dei sospitatoris benignitatem, qui tantam Nobis mortalis aevi usuram, incolumi valetudine, dedit. Illud vero maius, atque ad cogitandum gratius, quod ex beneficio Nobis privatim tributo posse videtur aliquis in communem salutem fructus efflorescere. Hac enim, de qua loquimur, occasione permoventur homines, ac vulgo respiciunt in hanc Apostolicam Sedem propensiore voluntate studioque maiore, provectam Pon-

tificis aetatem velut quoddam pignus patrocinii caelestis non sine caussa interpretantes. Ita fit, ut privatum nec magni momenti factum in fidei religionisque incitamentum, Dei nutu, traducatur: idque praeclara sane opportunitate si rerum temporumque ratio spectetur. Siquidem in tanto inimicorum numero, fidem atque instituta christiana pari fastidio spernentium, id nunc maxima quotidianaque contentione datur opera ut Pontificatum romanum invisum ac suspectum multitudo habeat, perniciosoque errore decepta omnino animum induat ab Ecclesia alienum. Sublatis igitur in caelum oculis, consilii pietatisque divinae cogitatione leniuntur aegritudines Nostrae iucundo eodemque tempestivo solatio; immo etiam ad dimicandum et perpetiendum, quam diu oportuerit, valde obfirmatur animus.

Cum vero fausta ineuntis anni primordia liberet insigniora facere, primum quidem consilium cepimus decernere beatorum caelitum honores venerabilibus nonnullis Servis Dei, e quibus et exempla virtutum et caeleste praesidium populus christianus opportune petat. Deinde vero animum adiecimus ad amplissimum Collegium vestrum, Venerabiles Fratres, supplendum. Scilicet Cardinales creare eximios viros aliquot decrevimus, bene de re christiana meritos, quippe qui in episcopalibus muneribus, aut legationibus, aut honoribus urbanis gerendis, diligentia, integritate, rerum usu, spectata in Apostolicam Sedem fide praestitere. Hi autem sunt:

Iosephvs Gvarino, Archiepiscopus Messanensis:

Marivs Mocenni, Archiepiscopus Tit. Aeliopolitanus, Adiutor a Negotiis Nostris publicis:

Amilcar Malagola, Archiepiscopus Firmanus:

Angelvs Di Pietro, Archiepiscopus Tit. Nazianzenus, Nuntius Apostolicus in Hispania:

Benedictvs Sanz y Forés, Archiepiscopus Hispalensis:

Gvlielmvs Meignan, Archiepiscopus Turonensis:

Benedictvs Leo Thomas, Archiepiscopus Rothomagensis:

Philippvs Krementz, Archiepiscopus Coloniensis:

Ignativs Persico, Archiepiscopus Tit. Tamiathensis, Sacri Consilii christiano nomini propagando Secretarius:

Aloisivs Galimberti, Archiepiscopus Tit. Nicaenus, Nuntius Apostolicus in Austria-Hungaria:

Michael Logve, Archiepiscopus Armacanus, Primas Hiberniae:

Claudius Franciscus Vaszary, Archiepiscopus Strigoniensis, Primas Hungariae:

Erbertus Vaughan, Archiepiscopus Westmonasteriensis:

Georgius Kopp, Episcopus Vratislaviensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Iosephum Guarino
Marium Mocenni
Amilcarem Malagola
Angelum Di Pietro
Benedictum Sanz y Forés
Gulielmum Meignan
Benedictum Leonem Thomas
Philippum Krementz
Ignatium Persico
Aloisium Galimberti
Michaelem Logue
Claudium Franciscum Vaszary
Erbertum Vaughan
Georgium Kopp.

Creamus praeterea alios duos S. R. E. Cardinales, quos in pectore reservamus, arbitrio Nostro quandocumque evulgandos.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et apportunis. In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS DELEGATIO APOSTOLICA
IN FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONALIS STATIBVS
CONSTITVITVR

VENERABILI FRATRI
FRANCISCO SATOLLI ARCHIEPISCOPO TITVLARI NAVPACTENSI

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Apostolicae servitutis officium, quod humeris Nostris, licet imparibus, inscrutabilis imposuit divini altitudo consilii, Nos saepe illius admonet sollicitudinis, quam Romanum Pontificem ad procurandum Ecclesiarum omnium bonum pervigili cura impendere oportet, ut in omnibus vel longo terrarum marisque tractu dissitis regionibus, quae ad divini cultus incrementum, atque ad animarum Christifidelium salutem spectare dignoscuntur, avulsis dissensionum seminibus, in dulcedine pacis adimpleantur. Hac mente longinquas ad ditiones ecclesiasticos interdum viros mit-

timus, qui vices Apostolicae Sedis ibidem agentes, alacri impigroque studio procurare satagant, quae bene, prospere ac feliciter catholico nomini eveniant. Iam vero quum gravibus de causis Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis Ecclesiae peculiares Nostras curas, provisionesque expostulent, Nos eam in sententiam devenimus, nimirum ut in praedictis statibus Delegationem Apostolicam constitueremus; omnibusque rei momentis attente ac sedulo perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, tibi, Venerabilis Frater, quem provehendae fidei studium ac zelus, doctrinae copia, rerum usus, prudentia, consilium, aliaeque praestantissimae animi, ingeniique laudes commendant, de Fratrum eorumdem consilio, Delegationem huiusmodi committendam existimavimus. Quare te, Venerabilis Frater, benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi, Delegatum Apostolicum in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis ad Nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum eligimus, facimus atque renuntiamus. Tibi itaque concedimus omnes et singulas facultates necessarias, atque opportunas, ad Delegationem huiusmodi gerendam, omnibusque et singulis ad quos pertinet praecipimus ut, in te Apostolico Delegato supremam delegantis Pontificis auctoritatem agnoscentes, in omnibus

tibi, Venerabilis Frater, faveant, praesto sint ac pareant, tuaque salubria monita ac mandata reverenter excipiant, atque efficaciter adimpleant; secus sententiam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observare.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXIV Ianuarii MDCCCXCIII. Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
CAROLO ARCHIEPISCOPO MVTINENSI
ABBATI NONANTVLAE

MVTINAM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Agnovimus libenter ex litteris, quas die sacra Epiphaniae Domini ad Nos dedisti cum suffraganeis Episcopis provinciae tuae aliisque tribus finitimis, Nobis immediate subiectis, quo studio et obsequio a vobis et gregibus quibus praeestis exceptae fuerint Litterae Encyclicae, quas non ita pridem edidimus adversus molitiones sectae inimicae Deo, quae viru exitiali suo regiones hasce Nostras conatur inficere. Equidem ex iis quae a vobis conscripta sunt non leve solatium cepimus; declarabant enim quum pastoralem zelum, quo documenta a Nobis profecta neminem latere sinitis servarique curatis ab omnibus, tum religionem populi qui, paternae respondens sollicitudini Nostrae, datis a Nobis documentis utitur ad avitae tutelam

fidei atque ad suam communemque totius Italiae salutem. Ceterum quin naviter in vestris inceptis perstituri sitis ac nihil remissuri de vigilantia vestra minime ambigimus; verba enim quibus mala defletis ab hostibus veritatis parta satis ostendunt quo flagretis studio ut illis apta adhibeantur remedia. Itaque Deum rogantes, ut ope sua vos adiuvet, atque ad tuendam Italorum fidem ea praestet potenti virtute sua, quae humanae nequeunt vires efficere, Apostolicam benedictionem, Nostrae dilectionis testem, tibi aliisque praedictis Venerabilibus Fratribus, nec non clero et fidelibus curationi vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Ianuarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA [1]

DILECTO FILIO
FRANCISCO PICARD
PRAEPOSITO GENERALI AVGVSTINIANORVM
AB ASSVMPTIONE

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod scribis, peregrinationem Hierosolymitanam, superiorum annorum more institutoque, te duce, proxime susceptum iri, valde gratum est. Teque, dilecte Fili, et quotquot tecum ibunt, ominibus faustis ac paternae caritatis studio prosequimur, praesertim quum peregrinantium maior, quam alias, futurus videatur frequentiâ et dignitate concursus. Laudabile atque opportunum id etiam censemus, quod inter sanctissima Palaestinae monumenta agere hoc anno solemnia Eucharistica decrevistis. Hinc quidem peregrinationem, expiationis religionisque caussâ, ut assolet, initam, fructuosiorem divino munere fore con-

[1] Data est die I februarii an. MDCCCXCIII.

fidimus. Propterea quum eius rei participes esse aliquo modo Nosmetipsi velimus, dilectum Filium Nostrum Benedictum Mariam Langénieux, S. R. E. presbyterum Cardinalem Archiepiscopum Rhemensem legavimus, qui personam Nostram ad solemnia Eucharistica gerat. Tuis vero precibus obsecuti, itemque alendae augendaeque pietatis consilio adducti, iis omnibus, qui tuo ductu ad sancta Palestinae loca proxime sunt peregrinaturi, eadem privilegia easdemque indulgentias concedimus, quas datis die VI Martii an. MDCCCLXXXII litteris largiti sumus, quasque anno superiore renovavimus, cauto tamen ut eaedem serventur conditiones. Confirmamus praeterea facultates et privilegia tibi per eas, quas diximus, litteras tamquam peregrinationis moderatori concessa, potestatemque facimus eligendi, si res postulet, sacerdotem idoneum, qui facultatibus utens tibi nominatim tributis, vicario pro te munere fungatur. Reliquum est ut respiciat benignus voluntatem vestram Deus, et destinatum pietatis opus ad commune bonum feliciter evenire sinat. Cuius divini muneris auspicem, et Nostrae benevolentiae testem, tibi quidem et universis peregrinationis sociis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Februarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
HERBERTO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI VAVGHAN
ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum summa Nobis cura sit eorum quae eo intendunt ut iuvenis clerus pleniori qua possit ac penitiori instruatur rei philosophicae ac theologicae scientia, nequivimus ex iis quae litteris legimus expressa tuis, die XXVII Ianuarii mensis datis, non admodum delectari. Scribebas enim placere tibi aliisque fere omnibus Episcopis eius in Britannia regionis quae meridiem spectat, magnum institui Seminarium prope Birmingamiam, quo iuvenes conveniant clerici grandiores natu ex eadem regione, ut a praestantissimis quos habere liceat praeceptoribus doceantur duplex illud quod diximus praenobile disciplinarum genus. Id eo profecto valebit, ut quamplurimis prosit alumnis peritia et industria docentium qui aliis censentur praecellere, ut minima vel nulla sit in iis dissensio quae

sita sunt in opinionis arbitrio, ut frequentiâ sociorum incendantur studia discentium, aliique aliorum profectui conferant aemulatione, nedum amico consilio et ope. Quum hasce atque alias, quas scite memorasti, opportunitates praebiturum sit sapiens hoc cogitatum, si perficiatur; Nostrum esse ducimus non modo meritis ornare laudibus te aliosque tibi consentientes sacrorum Antistites, sed et vehementer hortari ut erecto animo, studio concordi collatisque viribus, manum operi admoveatis, ex cuius effectione tantum capietis utilitatis fructum, quanta fuit in consilio ineundo prudentia. Plane si diutius adhuc Nos sospitare dignetur Deus, bona spe nitimur haud imparem studio quo vobis modo ad rem gerendam addimus animos, gratulationem fore qua vobiscum laetabimur aliquando de fructuoso et laeto rei bene gestae successu. Divini interea auspicem auxilii, quod secundum adprecamur vobis et confidimus adfuturum, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili Noster, ac Venerabilibus Fratribus tibi hac in re consentientibus, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Februarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS PIAE SOCIETATI
A SACRA IESV CHRISTI INFANTIA
CERTA PRIVILEGIA CONCEDVNTVR

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Humani generis Ecclesia parens, quum de omnibus filiis suis aeque sit sollicita et pari caritate singulos complectatur, tum praecipuo quodam misericordiae sensu respicere solet ad infantes pueros, qui ex parentibus orti evangelicae lucis expertibus, rerumque omnium inopia plerumque vexatis, vel ab ipsis incunabulis in gravissimo et vitae et salutis aeternae discrimine versantur. Materna haec caritas, non nova quidem, neque inusitata est in Ecclesia, sed tradita est ei, et quasi haereditate transmissa ab auctore Iesu Christo, qui mortalem dum vitam vixit, pueros mirifice dilexit, et nunquam passus est eos ab se prohiberi. Quapropter non mirum est, si Romani Pontifices summopere diligere, omnique studio semper fovere soliti sunt quaecumque ad iuvandam puerulorum salutem sunt in Ecclesia sancte instituta. Haec inter iure

meritoque peculiarem Pontificum benevolentiam sibi comparavit, eximiaque apud omnes opinione floret Societas, quae Parisiis ad incolumitatem et bonum, Sinensium praesertim, puerorum, coaluit sacra Iesu Christi infantia nomine et auspicio felix. Huius exordia cum Nos memoria repetimus, suavi quadam iucunditate et delectatione perfundimur. Quum enim faustis, sed parvis exorta est initiis, Nos, qui apud augustum Belgarum Regem Apostolica Legatione fungebamur, omni studio prosequuti sumus, omni, qua potuimus, ope iuvimus: salutare enim iam tum visum est Nobis opus, plenum humanitatis et caritatis. Nunc vero Apostolicae dignitatis, Deo volente, ad fastigium evecti, Societatem sacrae Dei Infantiae, et sociorum numero et recte factorum laude florentem, veteri amore complectimur, et laetamur eam quinquagesimum natalem suum eodem hoc anno, quo Nos consecrationis Nostrae, celebrare. Quamobrem quum iam studium Nostrum in hac societate provehenda anno tertio Pontificatus Nostri confirmaverimus, libet nunc in fausto hoc eventu perpetuum illi dilectionis Nostrae impertire testimonium. Propterea votis etiam obsecundantes dilecti Filii Nostri Vincentii S. R. E. Cardinalis Vannutelli, universae istius Societatis Patroni, nonnulla privilegia dictae Societati ad tempus alias concessa, perpetua esse volumus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis sacerdotibus in quibuslibet Societatis consiliis, directoribus, praefectis seriei duodecim sociorum, et qui vel aere

proprio consuetam duodecim sociorum eleemosynam persolverint, vel iuxta Apostolicam concessionem diei XV Iulii MDCCCLXXXV statuta pecuniae vi semel soluta, inter socios, perpetuos nuncupatos, cooptati fuerint, facultatem facimus, de respectivi loci Ordinarii consensu (quem nisi quisque eorum obtinuerit, huius privilegii concessionem nullam esse volumus) in forma Ecclesiae consueta privatim benedicendi, extra Urbem, Cruces, Crucifixos, sancta Numismata, Coronas precatorias, et parvas Domini Nostri Iesu Christi, Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque ahenas statuas, cum applicatione omnium et singularum indulgentiarum, quae in elencho, edito typis S. Congregationis de Propaganda Fide die XXIII Februarii MDCCCLXXVIII, numerantur; et quod ad coronas precatorias attinet non excepta indulgentiarum applicatione quae a S. Birgitta nomen habent, dummodo ipsi sacerdotes ad sacramentales confessiones excipiendas sint rite approbati. Praeterea omnibus et singulis sacerdotibus superius enumeratis, ut quandocumque sacrosanctum Missae sacrificium pro anima cuiuscumque Christifidelis, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad quodlibet altare celebrabit, Missae sacrificium huiusmodi, ter tantum singulis hebdomadis, animae seu animabus, pro qua seu pro quibus celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum, auctoritate Apostolica indulgemus, dummodo tamen alio simili indulto non fruantur. Insuper eisdem presbyteris supradictis facultatem tribuimus, cuius vi, ipsi, dummodo sint confes-

sarii ab Ordinario approbati, nec non praevia eiusdem Ordinarii licentia (quae si desit, huius privilegii concessio nulla sit) consueto ritu benedicere et fidelibus imponere valeant Scapularia Confraternitatum SS. Trinitatis, B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, et Septem Dolorum, nec non Immaculatae Conceptionis eiusdem Deiparae Virginis, cum communicatione privilegiorum et indulgentiarum, quibus adscripti memoratis sodalitatibus fruuntur et gaudent, sed eis tantum in locis, in quibus non extent conventus Ordinum Religiosorum, ad quos ex speciali privilegio Apostolicae Sedis pertinet praedicta scapularia benedicere et imponere. Tandem singulis presbyteris, quos superius memoravimus, ut de respectivi Ordinarii consensu (quem nisi consequantur, hoc indultum nullum decernimus) Christifidelibus in mortis articulo constitutis, si vere poenitentes et confessi, ac S. Comunione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, corde saltem contriti, nomen Iesu devote invocaverint et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, benedictionem Apostolicam, Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine, cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia impertire possint, servatis tamen ritu et formula a Benedicto XIV decessore Nostro praescriptis, facultatem concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus, etiam quoad indulgentias ad instar, constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, non obstantibus quibuscumque. Praesentibus valituris in perpetuum. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu

exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die III Februarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ALBERTO BARBERIS
PRESBYTERO E CONGREGATIONE MISSIONIS
PLACENTIAM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Qui Doctoris Angelici disciplinam in re philosophica et theologica curare pergimus provehendam, peculiari profecto erga eos benevolentia afficimur, quos videamus consiliis Nostris obtemperatione atque opera diligentius respondere. Hunc ad numerum sollertia te tua, dilecte fili, merito adscribit, neque eos minus praestantes viros quos participes habes laborum in commentario *Divus Thomas* elucubrando, quod recte per vos utiliterque *academiis lyceisque Scholasticam sectantibus* iam pridem istinc coeptum est evulgari. De bonis fructibus apud exteros quoque iam perceptis, quorum testes sunt et litterae tuae et volumina per hanc faustitatem Nostram oblata, equidem gratulamur. Agnoscere autem licet quantum cohortatio Nostra,

haud semel vobis subiecta, profuerit et quam bene res vestra procedat auspiciis et vigilantia, tum Venerabilis Fratris Episcopi Placentini, tum summi Congregationis Vincentianae Moderatoris. — Idem igitur constanti religione et laude tenete propositum, eoque religiosius tenete, quod nostis cum Ordinis vestri constitutionibus decretisque omnino congruere. Ex thesauro operum Aquinatis, in omnes rerum partes praestantissimo, studete integram doctrinam expromere, mentem eius veram, legitime excutiendo dilucideque explicando, proferre; apta inde suggerite adiumenta ad novas errorum opiniones refutandas omniaque ad incrementa disciplinarum, et, quod caput est, ad religionis praesidia, in tam acri ex hostibus conflictione, prudentes convertite. — Ita, ut instituistis, tam sedula actione quam lenitate moderationis elaborantibus, licebit sane ampliorem in dies laetioremque fructuum copiam colligere. Hoc nimirum, quod vobis valde cupimus, secundet feliciter Deus; cuius sapientia uberiora lumina et tibi, dilecte fili, et singulis operae consortibus per Apostolicam benedictionem paterno animo imploramus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Februarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

LEO PP. XIII.

LETTERA

AL DILETTO FIGLIO NOSTRO
CARDINALE LUIGI DI CANOSSA VESCOVO DI VERONA
AI VENERABILI FRATELLI VESCOVI
E AI DILETTI FIGLI VICARII CAPITOLARI
DELLA REGIONE VENETA

LEONE PP. XIII.

DILETTO FIGLIO NOSTRO
VENERABILI FRATELLI
SALUTE ED APOSTOLICA BENEDIZIONE

Il divisamento di sancire una nuova legge, che imponga la precedenza del rito civile sulla celebrazione del matrimonio cristiano, ha meritamente eccitato la vostra pastorale vigilanza, e con lodevole consiglio, prima di entrare in qualche determinazione all'uopo, vi siete volti a questa Apostolica Sede, alla quale *propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam.* Noi intenti sempre, per debito del Nostro supremo ministero, all'incolumità del gregge cristiano, fra le gravi ed incessanti Nostre cure, non lasciammo d'inculcare più volte la necessità di conservare al matrimonio cristiano

il carattere santo impressogli dal suo divino Istitutore; tanto più che da esso dipende altresì la santità delle famiglie, la pace delle coscienze, la retta educazione della prole ed il benessere del civile consorzio. Specialmente nelle Nostre lettere encicliche *Arcanum divinae sapientiae* esponemmo di proposito con la maggior diligenza e pienezza la dottrina cattolica su tale argomento; e Ci studiammo a un tempo di rammentare sia il molto dalla Chiesa operato nella successione dei tempi per raggiungere e mantenere la nobiltà cristiana della unione coniugale, e sia ancora ciò che rispetto ad essa può legittimamente attribuirsi alla potestà civile. Se quanti udirono la Nostra parola fossero stati uomini di buona volontà, od anche in buona fede ingannati, avremmo giustamente sperato che la verità conosciuta, illuminando le menti, avrebbe indotto, se non a riparare immediatamente i torti già recati alla Chiesa con indebite ingerenze nel matrimonio dei suoi figli, almeno a cessare da peggiori oltraggi. Ma sì ostinato in alcuni è il mal talento di osteggiare tutto ciò che è cristiano, e proseguire nella triste opera incominciata di *laicizzare,* come dicono, la società, e vuol dire di renderla indipendente da Gesù Cristo e privarla degli immensi beneficii della Redenzione, che lungi dal risarcire danni già fatti e manifesti, ne minacciano di più gravi col disegno di legge omai a tutti notissimo.

Non occorre qui ripetere per singolo gl'insegnamenti già dati, poichè sono sotto gli occhi vostri e dei fedeli;

ma non è inopportuno dichiarare anche una volta, che il potere civile disponga pure dei civili effetti del matrimonio, ma lasci alla Chiesa ciò che riguarda il matrimonio in sè stesso; ammetta il fatto del vero e legittimo matrimonio, quale fu istituito da Gesù Cristo e dalla Chiesa praticato, e indi prenda le mosse a concederne o negarne gli effetti che ne conseguono nella civil comunanza. Imperocchè è dogma di fede che il matrimonio dei cristiani fu elevato da N. S. Gesù Cristo alla dignità di Sacramento; nè questa dignità può, secondo la dottrina cattolica, aversi in conto di una qualità accidentale aggiunta al contratto matrimoniale, ma è a questo intimamente essenziale, dappoichè appunto lo stesso contratto per divina istituzione è divenuto Sacramento. Vana però sarebbe la distinzione tra il contratto ed il Sacramento, a volerne inferire che fra' cristiani possa darsi contratto matrimoniale valido, che non sia Sacramento. Onde nasce che, appartenendo esclusivamente alla Chiesa l'amministrazione dei Sacramenti, ogni ingerenza dell'autorità politica nel contratto matrimoniale, e non semplicemente nei suoi effetti, è sacrilega usurpazione.

Ora una legge che prescrivesse la precedenza del rito civile sul vero matrimonio che si contrae innanzi alla Chiesa, avrebbe veramente per oggetto lo stesso contratto matrimoniale, e non soltanto i suoi effetti civili; quindi lo Stato verrebbe con essa a disporre dell'amministrazione di un Sacramento. Niun' altra potestà, che

quella a cui spetta siffatta amministrazione, può e deve giudicare delle condizioni richieste per celebrare il matrimonio, dell'attitudine e capacità dei contraenti e delle altre circostanze dalle quali dipende che il matrimonio si contragga lecitamente e validamente. Nè vale il dire che la potestà civile colla legge di precedenza del rito civile non tocca il Sacramento amministrato dalla Chiesa; non lo nega e non lo riconosce, lasciando all'arbitrio dei contraenti di celebrare dopo il rito civile anche il matrimonio religioso. In verità cotesta legge punirebbe il matrimonio religioso, cioè il vero matrimonio, dichiarandolo implicitamente illecito, ove non sia preceduto dal rito civile, se pure non pretendasi punire un atto lecito. Colle pene che la disegnata legge minaccia, e che infliggerebbe ove, sanzionata che fosse, venisse trasgredita, non riuscirebbe certamente a render nullo un matrimonio contratto secondo le leggi della Chiesa; poichè trattasi di diritto naturale e divino, contro il quale non vi è potestà al mondo che possa prevalere: metterebbe però in opera tutti i mezzi per farlo considerare come nullo, per impedirne i doveri e frustrarne gli effetti che legittimamente ne conseguono. Il che, se non fosse abbastanza chiaro per sè, diverrebbe al tutto evidente, considerando per poco un recente ingiusto e sacrilego provvedimento già preso per i matrimonii dei militari; ai quali come, dopo essersi legittimamente uniti, è imposta la separazione dalla loro consorte, così, prima di unirsi, si negherebbe la facoltà di congiungersi in matrimonio. Per tal

modo in tempi di vantato progresso civile, si tornerebbe ad un' antica e tirannica barbarie, che osava privare gli uomini di un diritto che loro viene da natura, e a cui disvellere tanto adoperossi la Chiesa: la sola differenza sarebbe, che allora negavasi agli schiavi di unirsi in legittimo matrimonio, ora si negherebbe ai militari e ad altre classi di persone, spogliandole della loro libertà e facendone schiavi.

Ma non è questa la sola ingiuria che si reca alla Chiesa colla proposta legge; ve ne ha un' altra, egualmente gravissima. Ognuno sa che il nostro divin Salvatore commise alla sua Chiesa il giudizio ed il governo, non pure di tutto ciò che spetta alla fede, ma di quanto ancora riguarda la morale. La Chiesa fu da Lui istituita, affinchè fosse a tutti guida sicura ed infallibile nella via della eterna salute: e come a salvarsi non basta credere rettamente, ma è di più necessario operare secondo la fede, così appartiene alla Chiesa il giudizio sulla legge morale e sui costumi, non altrimenti che sul deposito della fede. Ora è precisamente materia di morale e di costumi il vedere se in dati casi convenga stringersi in matrimonio, ovvero astenersene. Lo stato di verginità è per sè più perfetto del coniugale, e sono sommamente a lodarsi coloro che ispirati dalla grazia lo abbracciano; ma questa grazia di una perfetta continenza non è data a tutti, ed allora, secondo l' Apostolo, *melius est nubere quam uri.* Può parimente accadere per la malizia e debolezza della corrotta natura, che riprovevoli pratiche fra

due persone siano già troppo inoltrate, talchè senza grave ingiuria e pregiudizio di una delle parti, o senza pericolo ancora dell' eterna salute di entrambe, non potrebbe omettersi il matrimonio. Se non che ad evitare, nel contrarlo, infamie e discordie nelle famiglie e tra le famiglie, converrà talvolta tutto conchiudere con somma sollecitudine e segretezza, rimettendo al più, ove diventi possibile, a miglior tempo la pubblicazione del seguìto matrimonio.

Queste e simili giustissime considerazioni sfuggono ad uno Stato, che pretendendo di assorbire in sè tutti i diritti della famiglia e degli individui, non dubita di manometterli tutti, sotto pretesto di provvedere a se stesso: e vi provvederebbe in verità sconsigliatamente. Ad uno Stato poi che vuol prescindere da ogni legge divina e cristiana, importa nulla che si moltiplichino i peccati, o cercandosi illecite unioni, o perseverando in esse; sebbene ragione, fede, storia, dimostrino ad evidenza che la corruttela dei costumi snerva, guasta, consuma le società. Tanto è l'acciecamento e l'odio di questi nuovi legislatori, che al punto stesso della morte, quando un' anima è vicina a presentarsi al tremendo giudizio di Dio, vorrebbero legare le mani al suo Ministro, non consentendogli di esercitare il suo ministero di riconciliazione, di pace e di salute, se non a dure condizioni, le quali spesso, a doverle rigorosamente osservare, esporrebbero quell' anima ad eterna ruina.

La Chiesa, che che sia per disporre un'autorità ter-

rena, non verrà meno giammai alla sua divina missione, e mai non potrà rassegnarsi a lasciar perire le anime redente dal sangue di Gesù Cristo, delle quali dovrà rendere strettissimo conto: nè, per vero dire, lo Stato ha punto di che temere, lasciandola agire con la libertà che è propria del suo salutare ministero. Se mal suo grado permette talvolta che si celebrino matrimonii occulti, come diconsi, di coscienza, ciò non accade che in casi di gravissima urgenza, richiedendolo la legge suprema della salute delle anime. Ma la Chiesa stessa ne ha fissate le condizioni, perchè tali casi siano rarissimi; ne ha prescritto i rimedii, affinchè nulla ne soffrano i contraenti e la prole, ed ha tutto minutamente ordinato a prevenire altri inconvenienti. Del resto nella sua legislazione e nella sua pratica ben essa deplora che vi siano siffatti casi, e procura per ogni modo che il matrimonio sia contratto pubblicamente e con solennità. Basta in prova la sola Costituzione *Satis vobis* del Nostro illustre Predecessore Benedetto XIV, il quale, dopo aver esposto ciò che i Concilii ed i Pontefici hanno saviamente stabilito per la pubblica solennità dei matrimonii, ed enumerati i mali che derivano dal trasandarla, ammette bensì qualche rarissima necessaria eccezione, ma volgendo la parola ai Vescovi, così li esorta: *Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi, ne, post remissas denunciationes, celebretur matrimonium coram Parocho, vel alio sacerdote ab ipso Parocho vel a vobis deputato, praesentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne*

ulla celebrationis notitia vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum Sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens et urgentissima requiritur .... Vestri Pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

Stando così le cose, giustamente si può dimandare qual ragione possa avere lo Stato di imporre la precedenza del rito civile. Imperocchè il matrimonio contratto innanzi alla Chiesa dovendo regolarmente esser pubblico, non può sfuggire agli occhi dello Stato; e questo colle leggi in vigore ha già provveduto, anche oltre misura, agli effetti civili, unicamente di competenza sua. Perchè dunque non contento neppure del così detto matrimonio civile, vorrebbe ora ingiugnerne la precedenza? Per impedire forse i rarissimi matrimonii di coscienza, che la Chiesa stessa non permette, se non costrettavi da urgentissime cause? Ma la legge, ordinata di sua natura al bene comune, mal potrebbe occuparsi di casi singolari e rarissimi, dai quali non è a temere che sia turbata la pubblica pace e tranquillità, che è il proprio fine dell'autorità politica; ed essendo la legge stessa ordinamento secondo ragione, non varrebbe mai ad impedire che in quei rarissimi casi si faccia quanto la buona morale e la salute eterna delle anime esige. Se l'indole stessa della legge minacciata non mostrasse per se medesima a che

finalmente miri, basterebbe osservare da chi è ispirata e promossa; giacchè non è un mistero, ma fatto pubblicamente noto, che la setta massonica avea da lunga pezza meditata questa nuova onta alla Chiesa; ed ora per venirne a capo impone ai suoi adepti d' infliggerla. Gl' intenti di questa setta malaugurata sono sempre e da per tutto gli stessi, cioè direttamente ostili a Dio ed alla Chiesa; e poco a lei o nulla cale, non diciamo che le anime vadano perdute, ma che la società decada ogni dì più e precipiti, e la stessa decantata libertà sia oppressa, purchè insieme con essa sia incatenata ed oppressa la Chiesa, e sia affievolito nelle moltitudini e spento a grado a grado il sentimento cristiano.

Per fermo non resta omai che una amara ironia la parola di libertà in bocca a coloro che pretendono regolare a discrezione un diritto che ogni uomo ha da natura, l'esercizio del quale precede la costituzione della società civile: essendochè questa ha per immediati elementi le famiglie, le quali vengono formate e costituite dal legame coniugale. Più grave poi apparisce la violenza che si fa alle coscienze, quando una tal legge vuole imporsi ad una nazione cattolica; la quale fedele alle avite tradizioni, e più prossima, per singolar privilegio, al centro dell' unità, sente più vivamente lese per quella legge le sue più sacre convinzioni e la sua fede. Nulla giova il ripetere che lo Stato lascia poi la libertà di unirsi in matrimonio anche innanzi alla Chiesa; poichè si lascierebbe con ciò uguale libertà di non presentarsi

alla Chiesa, introducendo per via di fatto l'erronea persuasione, che col solo rito civile si viva in legittimo matrimonio, mentre invero non si ha che un concubinato abbominevole. Senzachè, se poi la Chiesa, per giusti motivi, non potesse congiungere in matrimonio quelli che già sono civilmente legati, sarebbero essi costretti ad un celibato pel quale non hanno nè volontà nè vocazione, ovvero a condurre la vita in una illecita e scandalosa unione.

Nè già si usa violenza alla sola libertà dei contraenti, ma a quella pure dei testimoni; e questa violenza è tanto più odiosa, in quanto che da confidenti ed amici, quali sarebbero scelti in casi di necessità, si vorrebbe convertirli in vili delatori a tradimento dell' amicizia. Somma finalmente sarebbe da riputarsi la tirannia esercitata contro i Ministri del Santuario, non per altro vessati e puniti che per aver prestato il loro ministero ad un atto di assoluta pertinenza dell' autorità ecclesiastica, e per motivi sacrosanti di moralità e di eterna salvezza delle anime; per avere cioè agito secondo la coscienza e il dovere. E quasi fosse poca offesa alla libertà comune quella che nasce dalle determinate prescrizioni della legge, si vuole accrescerla colla inaudita severità delle pene comminate: severità che appalesasi partigiana ed ostile, quando si esercita da uno Stato che pretende nel resto della sua legislazione mostrarsi informato alla mitezza dei costumi e dei tempi. Esso appunto che abolisce o mitiga il castigo dovuto a gravissimi delitti, si avvisa in-

tanto di aggravar la mano solamente per opprimere i fedeli e i sacerdoti, i quali seguendo la voce della propria coscienza, ubbidiscono a Gesù Cristo ed alla sua Chiesa. E quanto ai parroci, a nessuno può sfuggire l'affettata ignoranza o la contradizione dei legislatori; chè mentre fanno le viste di compatirne la povertà, e danno a intravedere provvedimenti diretti a migliorarne la condizione, deliberano poi di sottometterli a multe enormi, che non potranno mai soddisfare.

Ecco pertanto in breve il giudizio che deve portarsi sul nuovo disegno di legge, di cui Ci occupiamo. Esso usurpa i diritti della Chiesa, ne inceppa la salutare azione, e ne stringe sempre più le catene con grave danno delle anime. Lede la giusta libertà dei cittadini e dei fedeli, promuove e sanziona unioni illegittime; apre la via a nuovi scandali e disordini morali. Turba la pace delle coscienze, e rende più acuto il dissidio tra la Chiesa e lo Stato: dissidio al tutto contrario all'ordine stabilito dal Creatore, meritamente biasimato e deplorato da tutti gli animi onesti, e del quale per certo non fu mai vera causa la Chiesa.

Voi dunque, Venerabili Fratelli, che avete già appreso il pericolo, confortati ora dalla Nostra parola, unite la vostra voce alla Nostra, per istruire il gregge alle vostre pastorali cure affidato sulla natura della divisata legge, sul vero scopo a cui tendono i suoi promotori, sui gravi danni che recherebbe se fosse sancita, affinchè i fedeli non si lascino abbagliare alla falsa luce,

in cui coloro ipocritamente la presentano, nè ingannare ai vani sofismi, onde tentano sostenerla. Infondete loro coraggio, acciocchè per tutti i mezzi che tuttavia sono lor consentiti, facciano risonare altamente i loro reclami dettati dal dovere di difendere la tranquillità ed il decoro delle famiglie, da quanto vi ha di nobile e di onesto nella loro natura, e da quanto vi ha di vero e di forte nell' avita loro fede. Facciano sentire che, se sono pronti a rendere a Cesare quello che è di Cesare, non soffriranno mai che si tolga a Dio quel che è di Dio; e se desiderano diportarsi da buoni cittadini nella loro patria terrestre, molto più anelano alla patria celeste, ove son chiamati a divenire *cives sanctorum.* Pel vostro Clero poi, che dà insigni e costanti prove di zelo e di abnegazione, abbiate parole di rincoramento e di carità, perchè nella presente lotta si mostrino degni di Colui che, immolando se stesso per la salute del mondo, li elesse all' alto ufficio di cooperatori a sì grande opera. Abbiano sì la prudenza di evitare inutili conflitti, ma professino del pari la fortezza di porre gl' interessi di Gesù Cristo, della sua Chiesa e delle anime al di sopra di tutti gli altri. Quando la procella incalza, deve il nocchiero raddoppiare di vigilanza e di alacrità per cessare il naufragio; ed è questo il tempo, in cui chiunque ha qualche parte nel sacro Ministero deve dire coll' Apostolo: *Libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

A tale effetto, implorando su di voi tutti, diletto

Figlio Nostro e Venerabili Fratelli, la pienezza dei celesti favori, vi compartiamo con effusione di cuore l'Apostolica benedizione.

Vaticano, li 8 Febbraio 1893.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
GVLIELMO HENRICO ARCHIEPISCOPO CINCINNATENSI
CINCINNATVM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Magnopere Nos delectarunt studia et officia tua aliorumque sacrorum Antistitum ecclesiasticae provinciae, cui praees, quae tuis explicavisti litteris ad Nos datis, quum iubilaei episcopalis Nostri festa dies appeteret [1]. Eiusmodi scilicet erant omnia, quae iis legimus expressa litteris, ut nihil Nobis esset auditu iucundius. Vix enim quidquam magis accommodum perscribi poterat ad solatium Nostrum prae iis quae exposuisti de summa, qua Nobiscum iuncti estis, animorum consensione, de docili obsequio quo documenta amplectimini a Nobis profecta, de studio quo adprecamini Nobis divinam opem, deque consilio a vobis

[1] Non omnes afferuntur epistolae, ad eos magno numero datae, qui Summo Pontifici gratulationem significaverunt ob annum quinquagesimum a consecratione eius episcopali.

communiter inito sacri pro Nobis litandi a singulis quum solemnis illucesceret episcopatus Nostri natalis dies. Haec itaque officia vestra pari complectimur caritatis affectu, ac dum meritas vobis gratias habemus et agimus, in auspicium caelestium munerum, quae vobis adprecamur uberrima, Apostolicam benedictionem tibi aliisque Venerabilibus Fratribus, quorum nomine litteras ad Nos dedisti, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Februarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PETRO MATHIAE ARCHIEPISCOPO VLTRAIECTENSI
EIVSQVE SVFFRAGANEIS
ET DILECTIS FILIIS CATHOLICIS VNIVERSIS
IN HOLLANDIA COMMORANTIBVS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dolentes equidem animo, sed apostolico munere impulsi, hasce ad vos litteras mittendas censuimus, in gravissima causa, de qua vosmet, ut aequum est, Nobiscum deploratis. Nimis etenim nostis quemadmodum istic, superiore anno, in locum pseudo-archiepiscopi Iansenistae, Ioannis Heykamp, misere in schismate suo demortui, a Capitulo aeque schismatico, die XXIII februarii, electus sit Gerardus quidam Gul, e gremio canonicus, isque praeterea, die XI maii, per manus Gasparis Rinkel, pseudo-episcopi, consecrationem episcopalem sacrilego ausu susceperit. Utrâque Nos de re idem Capitulum idemque ita electus consecratusque episcopus certiores fecerunt, datis litteris, in

quibus cum simulatione obsequii despectus certabat. — Tum Nobis quid facto opus esset, et conscientia officii et Decessorum acta monebant. Attamen pro ea quae urgebat animum caritate paterna, re tota aliquandiu prolata, devios homines benignitati divinae, quae ad poenitentiam adducit, enixe commendavimus, si forte cordibus tacti ovile male desertum requirerent. Id Nobis, qui Christi pastoris boni fungimur vice, erat maxime optatum, spesque affulgebat animo, id ipsum fore in praecipuis gratissimisque pietatis muneribus quae Nobis, annum episcopatus quinquagesimum iamiam celebraturis, laetitiae sanctae coronam augeret: ob eamdemque causam quaedam etiam apud illos officia visum est interponere. — Nunc vero, quandoquidem sese illi Nobis insanabiles praebuerunt, vocem Nostram et Dei audire obfirmatis animis renuerunt, Spiritui Sancto ingrate contumaciterque restiterunt, resistunt, nihil iam rati sumus cunctandum, quominus quae in istiusmodi crimina sacris Canonum legibus praescripta sancitaque sunt, ea Nos, secundum Decessorum exempla, restricte observaremus, et qua pollemus a Deo potestate edictis poenis praestaremus: quo fieret etiam, ut rite per Nos et dominici gregis incolumitati et Ecclesiae catholicae dignitati foret consultum. Itaque electionem Gerardi Gul in Archiepiscopum Ultraiectensem, a pseudo-canonicis Ultraiectensibus actam, Nos illegitimam, nefariam, irritam, prorsus nullam Apostolica auctoritate declaramus, eamque rescindimus, delemus, abrogamus: item eiusdem episcopalem consecrationem, illici-

tam, illegitimam, sacrilegam, contra sacrarum legum sanctiones factam declaramus, reiicimus, detestamur. Quapropter eumdem Gerardum Gul, Archiepiscopum ita electum et consecratum, eosdemque canonicos electores, pariterque eum ipsum Gasparem Rinkel qui partes egit consecratoris, atque unâ quotquot operam suam utrilibet isti execrabili facto commodarunt, quotquot praeterea illis adhaeserunt, opemque vel consensum vel consilium praestiterunt, eos omnes et singulos excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos et prorsus schismaticos habendos et evitandos esse constituimus, edicimus, pronuntiamus.

Idem porro Gerardus Gul omnino sciat graviterque animadvertat, sibi iam, nisi novis se poenis obligatum velit, iis omnibus fungendis esse interdictum quae sunt iurisdictionis et ordinis: ita ut ipsi sit usquequaque nefas tum quemquam ad animarum curam et sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu, constituere et deputare, tum chrisma sacrum conficere, sacramenta confirmationis et ordinis administrare, et alia quaecumque agere vel ad iurisdictionem, qua omnino caret, vel ad episcopalem ordinem, quem licite exercere nequaquam potest, quomodocumque spectantia.

Haec omnia, Venerabiles Fratres, et dilecti filii, eo vos animo accipite quo Nosmetipsi denuntiamus, cum summa nimirum et tantorum criminum detestatione et sacrarum legum reverentia: atque caecitatem reorum et duritiam Nobiscum vehementer commiserati, preces con-

iungite apud misericordiam divinam ad poenitentiae spiritum eis implorandum, dum tempus est. Vos autem qui materno in sinu Ecclesiae catholicae omni fidelitate conquiescitis, quique huic Apostolicae Sedi obsequium et amorem vestrum egregie probatis, crescite usque in proposito sancto, multiplicatisque fidei ac iustitiae fructibus, dolores matris affectu pio sarcire contendite. Eius rei gratiâ et in pignus peculiaris benevolentiae Nostrae, Apostolicam benedictionem vobis omnibus peramanter a Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Februarii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
PATRITIO GVLIELMO ARCHIEPISCOPO SANCTI FRANCISCI
IN CALIFORNIA

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod annum quinquagesimum consecrationis Nostrae episcopalis, singulari Dei beneficio et munere, feliciter implevimus, ex eo oblatam tibi occasionem putavisti, ut officia amoris studiique erga Nos tui novo testimonio confirmares. Quae quidem officia eo acceptiora et gratiora accidunt Nobis, quod non solum tuo, sed communi catholicorum tuae dioecesis nomine sunt exhibita. Tam consentiens animorum voluntas, tam excitata in Nos et hanc Petri cathedram cum munificentia pietas non parum valet ad leniendam aegritudinem conceptam ex praesentibus Ecclesiae acerbitatibus quas quidem vos novistis, et Nobiscum merito deploratis. Ea est enim rerum et temporum conditio ut summo Ecclesiae Pastori absentes filii longeque remoti dent solatii causam, dolorem vero ii qui

prope in sinu complexuque suo instituti minime deberent. At vos sic intelligatis officia vestra eo animo Nos accepisse, quo sunt a vobis praestita, vobisque memorem gratamque voluntatem profiteri.

Superest ut vos cohortemur instare Deo, quod facitis, summis precibus, ut Ecclesiae suae misereatur vices, optatamque diu tranquillitatem et pacem inducat. — Tibi interea, Venerabilis Frater, clero et populo tuae fidei commisso pignus benevolentiae Nostrae, divinorumque munerum auspicem, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
LVDOVICO NAZARIO ARCHIEPISCOPO CYRENAEO
ADIVTORI ARCHIEPISCOPI QVEBECENSIS

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gratias Deo permagnas et agimus et habemus, quod Nos per laboriosam universae Ecclesiae sollicitudinem eo usque incolumi vita servaverit, ut annum quinquagesimum ab episcopali consecratione suscepta clauderemus; ex ipso autem rei eventu singularia quaedam in Nos observantiae et amoris a filiis Nostris paterent testimonia, quae ad gloriam eiusdem Ecclesiae suae proficerent. In qua gentium fere omnium pulcherrima pietatis consensione nequaquam silere poterant Venerabiles Fratres provinciae Quebecensis, in primis dilectus Filius Noster Cardinalis Archiepiscopus; qui te ad Nos communiter legaverunt, delatum sua suorumque gratulationes et vota. —

Tu autem impositum munus optime quidem perfecisti; ut in egregiae voluntatis tuae quam edidisti Nobis significatione, voluntatem ipsorum praeclare expressam perspexerimus, eâque simus magnopere delectati, quamquam plus certe Ecclesiae causâ quam Nostrâ. Nam si praestantissimorum copia bonorum, quae gentibus Ecclesia parere consuevit, ex coniunctione sacrorum Antistitum cum Pontifice romano praecipue pendet, sane ex vestra tam devincta Nobiscum fide, pietate, opera, quam plura apud vos laetioraque in dies bona sperare et augurari licet. — Tu vero ipse velimus redeas ad episcopos fratres nuntius grati admodum et benevolentis animi Nostri, idemque Nostrae interpres adhortationis. Pergant nimirum, ut studiose faciunt, unâ sententiâ unisque animis greges suos huic Apostolicae Sedi deditos et adstrictos tenere; eorum summis ad sempiternam salutem rationibus evigilato consilio providere; iuventutis ad Sanctuarium candidatae peculiarem agere curam, in qua alendae amplificandaeque religionis spes maxima vertitur. — Quebecensem provinciam valde Nos profecto diligimus, vereque sunt a te pignora nonnulla paternae caritatis Nostrae commemorata: eâdem ipsam caritate semper fovebimus, utque eo magis floreat nihil prorsus a Nobis deesse patiemur. Nunc tibi et ceteris Venerabilibus Fratribus, nominatimque dilecto Filio Nostro Cardinali Archiepiscopo, cuius pastoralis virtus et in rem catholicam merita nitent insignia, omnia fausta salutaria a Deo precamur; auspicem votorum addentes Apostolicam bene-

dictionem, quam singulis et cuiusque clero ac populo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VENERABILI DEI SERVO LEOPOLDO A GAICHIS BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Sapientissimo Dei consilio factum est, ut catholicae veritatis adsertores, non semel iisdem ad hominum familiam in Christo instaurandam congrederentur armis, quibus impii eam labefactare ac penitus evertere conantur. Non est qui inficietur superiore saeculo perditos quamplurimos homines fidei dogmata tum sermonibus tum praecipue scriptis in dubium revocasse, pro suo cuique ingenio vitam degendam praedicavisse, ac publica sublata religionis dignitate ad tantam pervenisse insaniam, ut Beatus Paulus de illis locutus videretur: « Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ». Misericors vero Deus tot malis occurrens, eximia pietate ac doctrina viros pro tempore excitavit, qui Christum in deliciis habentes, sive concionibus sive potissimum exemplis summa

ope nisi sunt, ut homines errorem depellentes, ad bonam frugem se reciperent, atque id unum sibi persuasum haberent, catholicam Ecclesiam complexu suo veritatem ac salutem continere. In horum numero, qui vitae sanctimoniam profligatorum hominum suae aetatis moribus mirifice opposuerunt, iure quidem ac merito adscribi potest Venerabilis Dei Servus Leopoldus a Gaichis, mature in Franciscalem Reformatorum familiam cooptatus. Miram eius vel a teneris annis innocentiam vitae, adipiscendae evangelicae perfectionis studium, constans heroicarum virtutum exercitium, uberesque fructus, quos in verbo Dei longe lateque proferendo ceperat, Umbrae regiones adhuc loquuntur. Et Nos qui in Perusina dioecesi non semel natale Eius solum ipsamque domum, in qua vitam hausit, invisimus, singulari quadam veneratione eum semper prosequuti sumus, eiusque opem ac patrocinium in rebus trepidis, nec frustra, imploravimus. Hic, III kalendas Novembres anno reparatae salutis MDCCXXXII Gaichis natus Perusinae dioecesis oppidulo, parentes habuit potius religione et probitate morum quam genere vel opibus praestantes, eique, non secus ac Seraphico Patri, Ioannis nomen in baptismate inditum fuit. Cum adhuc puer esset, et parentibus dicto audiens, submissis fungeretur officiis, se tamen ludicris abstinebat, assidue in templis aderat, sacerdotum colloquiis oblectabatur, tantam totius corporis modestiam praeseferens, ut ipso adspectu cuivis iniiceret admirationem sui. Studium autem pietatis tum sacris libris cupide legendis, tum Sacro Convivio saepenumero

adeundo, ita in eo succrevit, ut aeternae animi saluti omnino vacans, neque maius aliud neque praestabilius sibi esse duceret, quam Franciscalium militiae, almae sanctorum virorum matri, nomen dare. Sui vero parentes non sine lacrimis hunc filium, qui ingenio ac morum suavitate sibi solatium erat dulcissimum, Domino obtulerunt, certa spe subnixi potiora Deum ab illo postulaturum. Ioannes igitur duodeviginti annos natus, die castissimo Deiparae Sponso sacro, S. Francisci Asisinatis magno cum gaudio vestem induit, ac Leopoldi nomen adscivit, eo nimirum anno, quo S. Leonardus a Portu Mauritio ad caelestium sedes avolavit. Id videbatur divinitus datum esse, ut continenter insignia tanti viri merita, qui decus et gloria eiusdem Reformatorum Ordinis fuerat, in Venerabili Leopoldo reviviscerent. Namque hic Leonardum sibi potissimum exemplar imitandum proposuit, sibique Patronum delegit. Receptus itaque inter S. Francisci Sodales, incredibile dictu est, quanta animi contentione tyrocinium confecerit, ad haec unice spectans, ut nempe instituti legibus studiose obtemperaret, humillima officia hilari vultu obiret, religionis caritatisque operibus summa intenderet alacritate. Tantam itaque redoluit in Deum ac proximos pietatem, ut cum omnium animos, tum maxime praepositorum sibi facile devinciret. Primo claustralis vitae anno expleto, humanioribus litteris, philosophiae et divinae scientiae se excolendum pro viribus dedit, atque in eis adeo profecit, ut post quinquennium idoneus haberetur, qui Sacerdotium iniret. Ubi tandem exoptata dies adve-

ñit, qua Leopoldus primam Deo hostiam immolavit, tanta perfusus laetitia fuit ut terrestrium oblitus, caelestia gaudia libare videretur. Novensili Sacerdoti nulla interiecta mora gravissimum philosophiae ac divinae scientiae tradendae munus demandatum fuit, qua in provincia enixe contendit, ut veritatis lux cum discipulorum mentes illustraret, tum praecipue eorum animos in Deo foveret. Sed aliquot post annos Leopoldo latior patuit gloriae seges, nam apostolicum, quod diu multumque desideraverat, munus assecutus, non minus erga Deum quam in homines caritatem effundere potuit. Novus itaque et ardens Evangelii praeco neque laboribus neque curis parcens, in cunctas Umbriae regiones discurrere coepit, frequentissimas ad populum conciones habere, christianos mores ubique revocare, quamplurimos a culpa deterritos ad poenitentiae laudem inducere. Huc accedit quod vir divina atque humana sapientia pollens, priusquam suggestus ascenderet, populi salutem a Deo per sequestrem Virginem, quam peramanter colebat, diu deprecabatur, et de locorum conditionibus certior factus, ea praesertim vitia orationis nervis notabat, quibus incolas magis obrutos existimaret. Neque verbis tantummodo, sed potissimum exemplo. Nam ut alia omittamus, saepe in publicum prodibat spinea corona redimitus, ponderosam sustinens humeris Crucem, flagella denique distringens, quibus quum vespertinis concionibus finem imposuerat, in innocens corpus, vigiliis, abstinentia, ciliciis attenuatum, asperrime saeviebat. Atque ita factum est, ut suggestus semper eius

sudore lacrimisque conspersi, haud rare sanguine rubereut. Attamen heroicus Christi imitator caelum suspiciens, tantum erga Deum prae se amorem ferebat, ut divinus ille ignis ex ore ipso atque oculis emicaret. Quod igitur simultates non paucas tolleret, pacem inter domesticos parietes restitueret, publicas confessiones excitaret, atque alios uberes lectissimosque fructus e suis huiusmodi laboribus non intermisse demeteret, mirandum quidem non est. Singulis vero sacris expeditionibus absolutis, periucundum animisque commovendis aptum erat spectaculum cernere Leopoldum caelestes pueris epulas, ad quas primum accederent, suapte manu porrigere, eisque et frequentissimo populo, non secus ac si filiis patrem, pacem in Domino augurari, et vale collacrimantem dicere. Eius igitur fama non urbes modo, verum etiam pagos et casas ipsas pervaserat, quapropter simul ut Leopoldus aliquo contenderat, statim ingens hominum celebritas ei obviam properabat, illoque sancto consalutato viro, se in eius disciplinam tradendi studio ferebatur. Verum quo eius humilitas magis elucceret, non defuerunt homines nequam, qui novarum capti opinionum illecebris, eum tot beneficiis omnes complectentem, probris maledictisque vexarent; at divina ira protinus perculsi, cui viro et quanto iniurias intulissent agnoverunt. Ceterum ille convicia pro deliciis habebat, quin immo angebatur perfectae caritatis vir mortem pro Christo oppetere non posse, atque ita fidem effuso sanguine confirmare. Quae omnia ac si parum essent, Pii VI rec. mem. decessoris Nostri peregre

redeuntis pedes humillime Spoletii deosculatus, quum ea de causa prope illam urbem in Montis Luci coenobio pernoctasset, id in severioris observantiae Recessum commutandi eodem quo antea consilio usus est. Paucis post annis quum omnium suffragio dignissimus renuntiatus esset, cui Provinciae Moderatoris munus deferretur, primo ille summis precibus ac fletu obtestatus est, ut ipsum onere eximerent immerito; deinde obedientiae vinculo assentiri coactus, se totum arbitrio Dei permisit. Novi erant ei in huiusmodi cura exantlandi labores, a quibus tamen se invictum praestans, nec sacras expeditiones intermittens, in coenobiorum tuendam disciplinam toto pectore incubuit, plurimumque consilii et operae contulit in Recessum ad Spoletium instituendum. Magnis in hoc tanto negotio difficultatibus circumventus, incredibili eas animi constantia ac divino fretus auxilio vicit, et Recessu in Monte Luco tandem condito, claustralium legum absolutum codicem edidit, cui prae ceteris se ipse penitus addixit. Neminem fallit superiore labente saeculo graves rerum mutationes, hostilia religioni portendentes, exortas fuisse. Tum scilicet eluxit mira Leopoldi fides; sodales ut iniusta patienter ferrent adhortari, populo suadere novas res sceleribus partas, haud diuturnas, si poenitentiam egerit, fore; inter ipsum armorum fremitum spem omnium in Deum erigere. Publica autem rerum eversione in dies augescente, lex iniqua lata fuit, ut religiosae sodalitates discederent, ex qua Leopoldus Recessum Montis Luci, dilectum pacis perfugium, vi relinquere coactus fuit. Vix

dici potest quo dolore afficeretur Venerabilis Dei famulus, qui aliquot e coenobio sibi comitibus adiunctis, neque eo secius quam in claustris vivendi instituta ratione, de divina lege per Umbriam concionari non desiit. In conspectum autem Provinciae Praesidis venire iussus, ut iureiurando adigeretur, id se daturum negavit; quare complura in loca relegatus, luculentissimo fortitudinis exemplo reliquos anteivit. Tandem ubi primum ex tot tantisque procellis mystica Petri navis, Deo opitulante, conquievit, Leopoldus a fel. rec. Pio VII decessore Nostro Romam reduce Fulginiae impetravit, ut Montis Luci Recessus rursus aperiretur, eoque, veteribus sodalibus undique accitis, tamquam ad portum celeriter confugit. Sui voti compos factus, exoratis Deo ac Virgini Mariae gratias sollemniter egit, et ieiuniis precibusque iteratis, summum omnigenae virtutis gradum obtinuit, id unum aegre ferens, quod senio confectus subsidio proximis venire prohiberetur. Vir tamen constantia flecti nescia in ipso Recessu Sacras Missiones habere instituit; at dum pro suggestu Dei verba facit, uti strenuus miles in acie procumbens, gravi morbo tentatur, et Spoletium devehitur invitus. Ibi quum praeclara edidisset christianae patientiae documenta, atque ut humi stratus animam ageret, nequidquam obsecrasset, nomina Iesu et Mariae suavissima potius corde quam labris implorans, IV nonas Apriles anno MDCCCXV, aetatis suae LXXXIII, in Domino placidissime obdormivit. Iusta soluta sunt confertissimo populo, qui tanti viri sanctimonia adductus, eius exuvias inspicere, manus ac

pedes deosculari, et vestes in frusta conscindere satis nunquam habebat. Crebrescente autem ex eo tempore haec sanctitatis fama, eius Beatificationis et Canonizationis Causa apud Sacrorum Rituum Congregationem pertractari coepit, et singulis probationibus ex Ordinariis et Apostolicis processuum tabulis rite expensis, felicis recordationis Pius IX Decessor Noster de heroicis Venerabilis Leopoldi virtutibus solemne decretum edidit Idibus Februarii anno MDCCCLV. Deinde quaestio agitata est de miraculis, quae eius intercessione a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis, bina miracula vera et explorata sunt habita, ideoque Nos VI Idus Septembres superioris anni de eorumdem miraculorum veritate decretum edidimus. Illud inquirendum supererat, num tuto in Ecclesia concedi possent Venerabili Dei famulo Beatorum Caelitum honores, et Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus tuendis praepositi, in generali Congregatione coram Nobis habita X Calendas Decembres praeteriti eiusdem anni, tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Attamen Nos in re tanti momenti sententiam Nostram aperire distulimus, maiorem caelestis luminis gratiam imploraturi. Quo facto, die qua Unigenitus Dei Filius gentibus revelatus est, hoc ipso anno solemniter decrevimus, tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Leopoldi a Gaichis Beatificationem. Quae cum ita sint, universi Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Reformatorum supplicationibus permoti, auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi facultatem facimus, ut Vene-

rabilis Dei servus Leopoldus a Gaichis eiusdem Ordinis nomine Beati in posterum nuncupetur, eiusque Corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra Apostolica concedimus, ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de Communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis, iuxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in Civitate ac Dioecesi Spoletana, templisque omnibus et oratoriis piarum domorum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum, ab omnibus Christifidelibus qui horas Canonicas recitare tenentur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus Sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad ecclesias in quibus festum agitur confluentibus. Denique concedimus, ut solemnia Beatificationis Venerabilis Leopoldi a Gaichis in templis supradictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris, quod die quidem fieri praecipimus per Ordinarium designanda, intra annum postquam eadem solemnia in Aula superiori Porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in discepta-

tionibus iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die IV Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Loco ✠ Sigilli

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
PASCHALI ARCHIEPISCOPO SCODRENSI
ET SVFFRAGANEIS EIVSDEM PROVINCIAE

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Valde Nos iuvat, de sacra singularique laetitia, qua Deus, anno exeunte quinquagesimo ministerii episcopalis, Nos donavit benignus, ad ipsas redundasse Albaniae gentes, quas omni et apostolica sollicitudine et caritate paterna complectimur. Hoc Nobis probe compertum fuit ex litteris, quae a vobis per idem tempus communiter datae advenerunt, faustae gratulationum et votorum nuntiae. Qua de comitate et pietate gratum vobis animum significantes, eo amplius laetamur, quod eaedem litterae testatae praeterea sunt, seu verius luculentiore testimonio probaverunt, quanta vos coniunctione voluntatum Nobiscum teneamini, et quantam obsequii religionem documentis praeceptisque Nostris qualicumque in re adhibere studeatis. — Nostri nimirum est muneris, prout calami-

tosa Ecclesiae tempora exposcunt, tum universe tum singulatim providere, humanae ut societati apta malis remedia suppeditentur, veritatis virtutisque via ab improborum insidiis muniatur, optime instituta proficiant. Quae Nos dum quanta maxima possumus contentione urgemus, nihil cessamus quidem consilia ipsa, quae Deo auctore concepimus, eidem commendare adiutori ad perficiendum in communem salutem. Etiam ad provinciae vestrae salutaria incrementa cogitationes quasdam et curas Nos convertisse, est a vobis memori cum gratia affirmatum: Nosque mutuo gratulamur et de alacri concordique opera qua ad eadem Nobiscum proposita conspiratis et de praeclara quam in populis vestris habetis fructuum copia bonorum. — Iamvero, eâdem vos mente, Venerabiles Fratres, perseverantes, eâdem sollertia foveatis hortamur quae deinceps auctoritate Nostra conari et efficere animus est: sunt autem eiusmodi, unde insignes utilitates religio catholica, non solum apud istas gentes, sed multo latius, tranquilla fruens libertate, possit percipere. Videlicet Christi Ecclesia, quod litterae ipsae vestrae aperte loquuntur, suapte natura nec humano iure actionem convenienter liberam vindicat sibi, idque potissimum in Capite suo, romano Pontifice, ex quo divina illa vita et virtus sempiternae salutis effectrix in omne corpus eiusdem Ecclesiae permanat. Itaque Nos, in hac praesertim re tam magni momenti, vota et omina vestra perlibentes accipimus; quorum optatum exitum, plusquam ex hominum praesidiis, a Deo ipso, qui libertatem Ecclesiae suo peperit sanguine,

omnino speramus et expectamus. Vobis autem, Venerabiles Fratres, et vestro cuiusque clero ac populo Apostolicam benedictionem, quae auspicium sit auxilii a Deo uberioris et benevolentiae Nostrae pignus certissimum, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die v Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO SEBASTIANO TIT. SS. XII APOSTOLORVM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI NETO
PATRIARCHAE OLISIPONENSI

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Etsi pristina in Nos studia sacrorum Antistitum et fidelium Lusitanorum animum sibi Nostrum vehementer devinxissent, non levis tamen amori Nostro facta est accessio, quum annus a Nobis est impletus ab inito episcopatu quinquagesimus. Quaecumque enim apta erant imprimis et luculenta gratulationis indicia, ea passim istic prolata novimus ad commune gaudium testandum quod incolumes ad eam usque diem Nos servaverit sospitator Deus. In hoc autem publico privatoque studio et quasi certamine filialis pietatis gavisi sumus praeivisse exemplo ceteris urbem Regni principem, ac secundam nemini eam extitisse quae merito scientiarum censetur artiumque optimarum nobile domicilium. Haec plane negligi a Nobis

nequeunt aut praeteriri silentio, quippe quae et vivam et late vigentem portendunt in hoc regno illustri catholicam fidem, et praestantem produnt amoris vim quae communi Parenti Lusitanos filios coniungit: quae vis mutuae caritatis quum valido praesidio et decori Ecclesiae sit, tum suavissimo Nobis solatio est in hac, qua premimur, asperitate rerum. Propterea quum tibi, tum aliis in episcopatu Fratribus istius regionis, quorum hac in re praecipuam intelligimus fuisse laudem, plurimas habemus agimusque gratias, optamusque ut ope vestra sensus benevoli gratique animi Nostri ceteris innotescant qui memoratis officiis demereri Nos studuerunt. Pacem interea et gaudium Sancti Spiritus et quaecumque fausta et felicia sunt vobis illisque simul adprecamur a Deo; et paternae caritatis testem, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, aliisque praedictis Lusitanarum dioecesium Praesulibus, nec non clero et fidelibus creditis vigilantiae vestrae, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTOLINO TIT. S. AVGVSTINI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI MONESCILLO Y VISO
ARCHIEPISCOPO TOLETANO

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Communis gratulatio Episcopatus Hispanici, litteris tradita quas deferri Nobis curavisti, cum quinquagies reversa affulgeret consecrationis episcopalis Nostrae anniversaria dies, pervenit ad Nos iucundissima. In ea namque enitere vidimus quum miram consensionem sacrorum Antistitum catholici istius Regni, quae consilia omnium et vota coniungit in unum, tum par erga Nos studium quod omnium oculos animosque ad hanc arcem veritatis convertit. Quantopere de utroque Nobis laetandum sit pro tua prudentia facile perspicis, adeoque intelligis quam grato prosequamur animo haec officia tam sponte, opportune et concorditer Nobis tributa. Optamus itaque ut hi sensus benevoli gratique animi Nostri ope tua ceteris patifiant

Hispanicarum diocesium Pastoribus, qui tecum coniunctim ad Nos illas dedere litteras, eaque ratione, quam tempus poscebat, demereri Nos voluerunt. Tibi demum, dilecte Fili Noster, illisque simul optabilia quaeque nec peritura bona a Deo adprecamur ex animo, illorumque auspicem Apostolicam benedictionem vobis, clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

CAMILLO ARCHIEPISCOPO CVSENTINO

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pastoralis ministerii amplitudine dignas et sacerdotali zelo refertas eas litteras reperimus, quas nuper ad Nos dedisti, cum aliis sacrorum Antistitibus ex inferiore Italia, qui tecum in Urbem convenerant, quum memoria recoleretur eius diei, qua ante annos quinquaginta episcopali honore aucti fuimus. Vobis autem accessisse libenter agnovimus alios quoque eiusdem regionis Episcopos. Sane quum in hoc bello, quod contra homines religioni infensos Ecclesia sustinet, expediat summopere, imo opus sit, ut qui fidelibus regendis praesunt, studiis viribusque iunctis, pro Domo Dei decertent viriliter, nihil optabilius prae litteris illis Nobis poterat contingere. Declarabant enim voluntatis vestrae concors propositum ad obsistendum ea qua valetis ope legibus, quae merito timentur, sanctitati

coniugiorum adversis, iuxta praescripta et monita iis comprehensa litteris, quas ea de re ad Episcopos Venetae regionis dedimus. Itaque consilium a vobis initum vehementer probamus, studium quo flagratis implendi naviter partes officii vestri merita ornamus laude, et in certamine quod sit fortasse obeundum propitiam ac praesentem vobis adprecamur vim opemque divinam. Huius porro auspicem et Nostrae dilectionis testem, Apostolicam benedictionem tibi aliisque praedictis Venerabilibus Fratribus, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
MICHAELI TIT. S. PRISCAE
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI CELESIA
ARCHIEPISCOPO PANORMITANO

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod Nos expectare par erat a perspecta dilectione tua aliorumque Antistitum sacrorum, qui Siculis dioecesibus praesunt, id naviter praestitum a vobis libenter vidimus per litteras communiter datas, quum memoriam recoleremus eius diei, qua ante annos quinquaginta episcopalem infulam accepimus. Haec autem studia vestra eo Nos affecere iucundius, quod comperimus fideles, quibus praeestis, pietatem vestram aemulatos fuisse in fundendis coram Deo precibus, ut paria temporum difficultati conciliarent Nobis auxilia. Illud vero imprimis legentibus epistolam vestram Nobis perplacuit, quod novum praeberent testimonium sacerdotalis zeli quo improbatis et pro viribus

refellere contenditis conatus hostium catholicae veritatis, qui nova moliuntur et graviora in dies, ad Ecclesiae dedecus et animarum perniciem. Quamobrem officia vestra acceptissima habuimus, debitasque pro iis gratias libenter vobis exsolvimus. Deum porro adprecati ut bonum certamen certantes vos adiuvet invicta ope et virtute sua, suisque muneribus cumulate vos repleat, Apostolicam benedictionem, Nostrae testem caritatis et gratiae, tibi, dilecte Fili Noster, aliisque Sicularum dioecesium Praesulibus, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XI Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
FRANCISCO ADAM GOEPFERT DECANO
ALIISQVE PROFESSORIBVS FACVLTATIS THEOLOGICAE
IN VNIVERSITATE STVDIORVM WIRCEBVRGENSI
WIRCEBVRGVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Qui coetus vestri memoriam constanter tenuimus summa cum benevolentia coniunctam, nequivimus suaviter non affici ex iis litteris, quas gratulatione et obsequio plenas a vobis accepimus quum quintum absolvimus decennium episcopatus Nostri. Insuper haec officia vestra iis vidimus explicata verbis, quae vestra erant gravitate dignissima, et egregiam prodebant ac singularem prorsus erga Nos voluntatem. Nolumus proinde vos latere benevoli gratique animi Nostri sensus quibus illa excepimus: quos dum ultra profitemur vobis, ampliora in dies adprecamur divinae sapientiae lumina firmioresque semper vires, quo plenius ac fructuosius in perfunctione magisterii vestri ea

praestare possitis, quae scite pieque pollicemini vos praestituros ad sanam tuendam doctrinam et refellendam errorum fallaciam. Huius porro divini favoris auspicem, Nostraeque testem paternae caritatis et gratiae, Apostolicam benedictionem vobis alumnisque vestris peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ORDINE CISTERCIENSIVM REFORMATORVM BEATAE MARIAE VIRGINIS DE TRAPPA CONSTITVENDO

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Pastoralis muneris officio admoniti Romani Pontifices, in religiosas familias, ex quibus christiana res tot tantaque percipit emolumenta, curas cogitationesque suas alacri studio intendere satagunt, ut in iis regularem disciplinam, unde potissimum eorumdem ordinum decus proficiscitur, quando necessitas postulet, tueantur, restaurent. Hoc consilio Trappensium Congregationi mentis Nostrae oculos convertentes, Abbates omnes, Priores, aliosque domorum vel superiores, vel deputatos, omnium observantiarum Cisterciensium Trappistarum, secundum iussionem eis intimatam per decretum Congregationis Episcoporum ac Regularium negotiis et consultationibus dirimendis praepositae, die xx mensis Iulii superioris anni datum, Romam vocavimus; hique dicto audientes, ex plurimis admodumque dissitis terrarum orbis partibus in hanc Almam Urbem Nostram convenere, ac praeside dilecto Filio Nostro

Camillo S. R. E. Diacono Cardinali Mazzella, Congregationis Indicis Praefecto, ad id muneris, Apostolica auctoritate, subdelegato a Venerabili Fratre Nostro Raphaele S. R. E. Cardinali Monaco La Valletta, Episcopo Ostiensi et Veliternensi, Poenitentiario Maiore et Trappensium protectore, mense octobri ipsius superioris anni MDCCCXCII, in aedibus Seminarii Gallici SS. Cordis Mariae prima omnium observantiarum generalia Comitia celebrarunt. His autem in Comitiis tantam illi observantiam ac devotionem erga hanc Sedem Apostolicam, regularis disciplinae zelum, incrementi ac prosperitatis instituti sui studium, animorum concordiam consiliorumque maturitatem praesetulerunt, ut Nos ipsi dicere non dubitaverimus « in Ordinis historia capitulum illud maximi momenti futurum », et singulari laudis praeconio prosequuti simus « praeclara, quae praebuere, unanimitatis et generosae abnegationis argumenta ». Iam vero uti plura capitulariter proposita inserenda erunt in constitutionibus intra annum eidem Episcoporum et Regularium Congregationi exhibendis, atque una cum his perpendenda, ita nonnulla extant, fere omnia communi calculo probata, de quibus in praesens est providendum, ne amplius suspensa relinquatur ac incerta instituti conditio; ideoque omnibus rei momentis attento ac sedulo examine perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis dirimendisque praepositis, haec, quae infrascripta sunt, statuenda ac decernenda existimavimus. Nimirum omnes et singulos, quibus

Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, perpetuum in modum edicimus, ac mandamus: — I. Ut tres Cisterciensium Trappistarum observantiae Westamallensis, Septemfontium, et Mellereacensis, unum posthac tantum ordinem constituant, sub unius superioris regimine. — II. Haec Congregatio existet autonoma sub unius Apostolicae Sedis dependentia, salvis iuribus Ordinariorum locorum iuxta constitutiones Apostolicas, et Instituti. — III. Nomen ei esto Ordo Cisterciensium Reformatorum Beatae Mariae Virginis de Trappa, et Superior generalis nuncupetur « Abbas generalis Cisterciensium Reformatorum B. Mariae de Trappa ». — IV. Sedes Abbatis generalis, eius Definitorii, ac Procuratoris generalis sit Romae. Abbadia quae in titulum deinceps assignabitur Abbati generali erit princeps in toto Ordine honore et auctoritate. — V. Ratas insuper eâdem Nostra Apostolica auctoritate habemus et confirmamus electiones in Capitulo generali peractas Abbatis generalis, Definitorum et Procuratoris Generalis. Sit scilicet generalis Abbas Sebastianus Wyart, Abbas monasterii Septemfontium dioecesis Molinensis in Gallia. Definitores sunto dilecti filii Malachias Abbas monasterii Beatae Mariae de Achel dioecesis Leo-

diensis in Belgio; Iohannes, Prior monasterii Trium-Fontium in suburbio romano; Bernardus, Abbas monasterii Beatae Mariae Thimadeuc dioecesis Venetensis in Gallia; Augustinus, subprior monasterii de Campo Arando dioecesis Gratianopolitanae in Gallia; Hubertus, subprior monasterii Montis Olivarum dioecesis Argentinensis in Germania; Augustinus, monasterii Montis S. Bernardi dioecesis Notthingamensis in Anglia. Tandem esto Procurator generalis dilectus filius Augustinus idem qui et sextus Definitor. — VI. Abbas generalis usque ad Capitulum generale proxime celebrandum retineat titulum Abbatiae Septemfontium, cuius regimen interim demandabit Priori ab eo eligendo et ab eo dependente. — VII. Tandem statuimus, ut nonnulli ex omnibus ordinis partibus, pietate ingenioque praestantiores, capitulariter a singulis Abbatiis proponendi, et eligendi ab Abbate Generali cum Definitoribus, in hac alma urbe conficiant sacrorum studiorum cursum altiorem prae communi omnibus ordinis clericis. — VIII. Ad experimentum, et quoad approbatae fuerint constitutiones, in potestate erit uniuscuiusque Abbatis, vel, quocumque nomine nuncupetur, Superioris domus, ex duobus horariis a Capitulo generali Sanctae huic Sedi propositis, unum alterumve sequi, quod magis in Domino expedire iudicaverit. — IX. Oleum, ac butyrum ad condimentum permittimus. — X. Decreta Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis ac disceptationibus dirimendis praepositae, ac litteras Apostolicas sub Piscatoris anulo datas annis MDCCCXXXIV, MDCCCXXXVI, MDCCCXXXIX, MDCCCXLVII et

MDCCCLXXXIV, in quibus de familiis Trappensium agitur, praesentiam litterarum vi, Apostolica auctoritate, abrogamus, et nullius roboris amplius esse declaramus in omnibus quae praesentibus hisce litteris Nostris adversantur. — XI. De Monialibus nihil innovamus, quoad ea quae hisce litteris non obstant. — Haec concedimus atque elargimur, decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVII Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTO FILIO
THOMAE BERNARD PRESBYTERO SVLPITIANO
RHEMOS

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inter complura multisque modis declarata reverentiae et amoris testimonia, quae undique ad Nos, annum complentes episcopatus quinquagesimum, vel delata vel missa sunt, ea sese peculiari nimirum causa commendant, quae ingenii doctrinaeque sunt fructus. Hoc ipso facile vides quam grate habuerimus donum tuum *Cours de liturgie romaine,* in quo conscribendo diuturnas curas et laboriosas optimo consilio parique exitu impendisti. — Id enim tibi consilium fuit ut rem liturgicam, quacumque patet ratione, per partes exponeres et explanares, utilitatem aeque spectans sacri ordinis atque ceterorum; quae quidem manare potest multiplex, ad eruditionem, ad legitimam rituum custodiam, ad alendam vel catechesi vel cultu pietatem. Quod autem omnino fieri oportebat, sinceram

mentem atque normas Ecclesiae romanae, ecclesiarum omnium matris et magistrae, statuisti religiose persequi, unde et laus tibi et pretium operi accrevit. Quapropter nihil sane mirum, si gratiam commendationemque virorum dignitate et iudicio praestantium de labore sis tuo adeptus; Nosque ipsi gratiam et commendationem libentes adiungimus, atque illud unâ praemium quod magnopere tibi expetitum significasti. Hoc est autem Apostolica benedictio, quod quanta tu pietate a Nobis exposcis, tanta Nos caritate et tibi et alumnis disciplinae tuae a Domino imploramus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

DE COMMVTATIONE PAROECIARVM INTER ABBATEM ORDINARIVM MONTIS VIRGINIS ET ARCHIEPISCOPVM BENEVENTANVM

Abbas Ordinarius dioecesis Nullius Montis Virginis, Victor M. Corvaia suis litteris ad SSm̃um Dñum Leonem XIII datis significavit ordinariae suae iurisdictioni subiectum esse territorium S. Iohannis ad Marcopium et S. Marci ad Vicum intra limites territorii Beneventanae dioecesis positum, quod plurimas familias domosque colonicas late in eo tractu fusas complectitur, cuius regimini Parochus Terrae Novae e Monachis Montis Virginis praepositus, maximas semper difficultates in suo munere exercendo, praesertim ob distantiam locorum, expertus est; easque difficultates nunc maxime ob inopiam sacerdotum ita auctas esse, ut praedictus Parochus ei regimini exercendo omnino impar evaserit. In hac rerum conditione praedictus Abbas exposuit, sese ad consulendum bono animarum et ad omnes dirimendas iurisdictionis collisiones interdum inter Ordinarios Montis Virginis et Beneventanae dioecesis exortas, cum Em̃o et Rm̃o Dño Camillo S. E. R. Cardinali

Siciliano di Rende, Archiepiscopo Beneventano, studiose egisse, proposita eidem paroeciarum commutatione et compensatione; et consiliis collatis ita inter se de hoc negotio convenisse, ut Abbas Ordinarius Montis Virginis suam iurisdictionem quoad territoria S. Iohannis ad Marcopium et S. Marci ad Vicum nec non S. Petri ad Lupinum, si in hoc postremum territorium eius iurisdictio extendatur, Cardinali Archiepiscopo Beneventano sponte et libere cedat, et vicissim Cardinalis Archiepiscopus Beneventanus ordinariae iurisdictioni Abbatis Montis Virginis territorium quod paroeciam vulgo de Lentace, ac partem Oppidi S. Martini Samnitae constituit, libere dimittat, quae paroecia ex conventis integra et autonoma permanere debebit; ac propterea idem Abbas Ordinarius Montis Virginis SSm̃o Dñ̃o Leoni XIII enixe supplicavit, ut huiusmodi commutationem et compensationem, iuxta formam et tenorem expositum, sua suprema auctoritate probare ratamque habere dignaretur.

Sanctitas Sua spirituali illorum fidelium bono, de quibus supra actum est, prospicere cupiens, attentis rationibus adductis et mutuo partium consensu, ad mei infrascripti Sacrae Congregationis rebus consistorialibus praepositae Secretarii relationem, Apostolica sua auctoritate territorium S. Iohannis ad Marcopium et S. Marci ad Vicum, nec non S. Petri ad Lupinum quatenus opus sit, ab ordinaria iurisdictione Abbatis Montis Virginis separare ac dividere et in perpetuum dioecesi Beneventanae conterminae cum omnibus et singulis ad ea territoria

pertinentibus unire et incorporare, ac vicissim territorium quod paroeciam vulgo de Lentace constituit, ea conditione quae superius expressa est, ab iurisdictione Archiepiscopi Beneventani dirimere ac separare, et iurisdictioni ordinariae Abbatis Montis Virginis cum omnibus et singulis in eo territorio contentis in perpetuum addicere et unire benigne dignata est.

In executorem autem praesentis Decreti pro dictis dismembrationibus et respectivis unionibus Eñum et Rñum Dñum Camillum Siciliano di Rende, Archiepiscopum Beneventanum, SSñus Dñus Noster deputavit cum facultate subdelegandi aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iniuncta obligatione transmittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplum decretorum, quae in hanc rem edita ab ipso fuerint; mandavitque hoc Decretum expediri, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, et in acta Sacrae Congregationis Consistorialis referri.

Datum Romae hac die 20 Martii, anno Dñi 1893.

CAROLVS NOCELLA S. C. C. *Secretarius*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
CYRIACO MARIAE ARCHIEPISCOPO VALENTINO
VALENTIAM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Agnovimus libenter ex litteris tuis, die xxv februarii datis, propediem habitum iri in Archidioecesi tua conventum, qui de operibus eucharisticis erit acturus, prout fuerat constitutum in coetu nationali catholicorum virorum, Hispali celebrato. Quum nihil nobis antiquius sit, quam ut magis magisque provehatur inter fideles et amplificetur cultus erga Sacramentum Sanctissimum, quod non modo gratiarum copiam uberrimam fidelibus praebet, sed ipsum gratiarum fontem auctoremque divinum; non leve ex nuncio tuo cepimus solatium et gaudium. Itaque et consilium initum et studium, quo teneris, rei quantocius gerendae vehementer probamus. Sperantes autem novum pietatis incrementum cum aliis salutis fructibus manaturum ex hoc coetu in hispanos fideles, optamus quamplures esse qui istuc con-

veniant. Imo quo magis eorumdem fidelium pietas incendatur spirituali quaestu proposito, concedimus ut ea die, qua, perdurante conventus tempore, sacrae caeremoniae in ecclesia peragentur, fideles utriusque sexus, qui rite expiata conscientia et sacra synaxi refecti, iisdem adstiterint, ac iuxta mentem Nostram ibi preces fuderint, plenariam peccatorum indulgentiam lucrari valeant. Testem interea dilectionis Nostrae, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

DE DVABVS PAROECIIS
A DIOECESIBVS S. FIDEI NEOGRANATENSI
ET ANTIOQVIENSI DISTRAHENDIS
AC DIOECESI MEDELLINENSI VNIENDIS

Cum R. P. D. Bernardus Herrera Restrepo, Archiepiscopus S. Fidei Neogranatensis. Sanctissimo Domino Leoni XIII humiliter exposuerit, magnopere interesse ad commodius consulendum spirituali fidelium regimini, in sua provincia existentium, ut fines inter dioecesim Medellinensem et S. Fidei Neogranatensem ex una parte, ac inter Medellinensem et Antioquiensem ex altera, rectius constituerentur, ita ut Paroecia del Nare nuncupata, suae iurisdictioni subiecta, iurisdictioni deinceps Episcopi Medellinensis committatur, et portio territorii, quae ad Paroeciam de Iolombo in dioecesi Antioquiensi pertinet, Paroeciae de Amalfi in dioecesi Medellinensi deinceps uniatur et subiiciatur, ac propterea enixe eidem Sanctissimo Domino supplicaverit, ut huic commutationi, novaeque circumscriptioni finium sua Apostolica auctoritate benigne annuere dignaretur, eadem Sanctitas Sua maiori spirituali animarum bono prospicere cupiens, attentis officiis a gubernio Columbiano in

hanc rem praestitis, nec non libero plenoque consensu a reverendissimis Episcopis, quorum interest, edito, paroeciam, ut supra, del Nare nuncupatam a dioecesi S. Fidei Neogranatensi dismembrare ac dividere et in perpetuum Episcopali Ecclesiae ac dioecesi Medellinensi, cum omnibus et singulis in ea contentis unire et incorporare, itemque portionem territorii, quae ad Paroeciam de Iolombo pertinet, a dioecesi Antioquiensi avellere et separare, et Ecclesiae ac dioecesi Medellinensi, iuxta preces, in perpetuum, cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus, Apostolica sua auctoritate unire et subiicere benigne dignata est.

Ad consulendum vero praedictarum Paroeciarum bono eadem Sanctitas Sua mandavit, ut omnia et singula documenta, eas Paroecias respicientia, a Cancellariis Episcoporum, quibus hactenus subiectae fuerunt, extrahi et Cancellariis novorum Ordinariorum Medellinensis et Antioquiensis opportuna forma tradi et in eis perpetuo asservari debeant.

In executorem autem huius Consistorialis decreti idem Sanctissimus Dominus Noster deputavit R. P. D. Antonium Sabatucci, Archiepiscopum titularem Antinoensem, Delegatum Apostolicum et Legatum Extraordinarium apud Columbianam Rempublicam, cum facultate etiam subdelegandi aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam pro praemissorum executione, nec non definitive pronunciandi super quacumque oppositione quomodolibet oritura. Mandavit demum huius executionis acta intra sex

menses ad Sacram Congregationem Consistorialibus rebus praepositam authentico exemplo transmitti, atque hoc Decretum expediri, perinde valiturum ac si Litterae Apostolicae expeditae fuissent, et inter Acta Sacrae Congregationis Consistorialis de more institutoque Apostolicae Sedis referri.

Datum Romae hac die 22 Martii, anno Dñi 1893.

Carolvs Nocella S. C. C. *Secretarius*

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOANNI BAPTISTAE EPISCOPO TIT. ELVSANO
VICARIO APOSTOLICO NORVEGIAE

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Praestantia fidei sanctique amoris, quo Norvegiae fideles huic Apostolicae Sedi iunguntur, quum aliis perspecta Nobis fuerat indiciis, tum nuper luculentius innotuit ex litteris, quas tuo eorumque nomine ad Nos dedisti hoc anno ineunte, atque ex verbis dilecti filii, illustris viri Baronis de Wedel Jarlsberg, quum episcopalis ordinis ante annos quinquaginta suscepti anniversarium diem ageremus. — Pergratum porro habuimus consilium, a vobis initum, ponendi effigiem sancti regis Olai in sacello insignis templi huiusce urbis, quo clarius liqueat Norvegienses fideles haud alienos haberi in hac communi patria et quasi domicilio eorum omnium qui catholico nomine censentur. Proinde desideriis vestris libenter annuimus, atque optamus ut auctiora in dies invitamenta fiant quae inco-

larum regionis istius oculos animosque ad hanc Sedem Nostram convertant et trahant. — Interim pro officiis exhibitis meritas tibi gratias habemus, aeternumque Pastorem adprecati, ut te et eos, qui tecum sunt, custodiat et sospitet, revocetque ad ovile suum qui ab eo recesserunt, Apostolicam benedictionem, testem dilectionis Nostrae tibi, clero et fidelibus curationi tuae demandatis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

ANTONIO ARCHIEPISCOPO GOANO

PATRIARCHAE INDIARVM ORIENTALIVM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Mira animorum consensio, quae tecum omnes coniunxit sacrorum Antistites Indiarum Orientalium, ut per litteras a vobis datas a. d. VII kalendas Februarias Nobis concors patefieret gratulatio vestra, adeo Nos oblectavit ut vix quidpiam videretur posse iucundius accidere. Ac sane par erat Nos permoveri vehementer ex hac concentione Fratrum et filiorum amantium, qui ex regione tam dissita lateque patenti laetabantur Nobiscum, gratias agentes Deo, quod in hac miseria temporum illud Nobis praebuit solatium ut episcopatus Nostri natalem diem adspiceremus quinquagies reversam. Huic gratulationi vestris expressae litteris aliud accedebat indubium sinceri amoris indicium in significatione pii doloris, quem capitis, propter conatus hostium Ecclesiae connitentium ne consilia a Nobis inita

ad commune bonum prosperos habeant exitus. Hic autem dolor ipse certiores Nos facit etiam de studio vestro quod opportune Nostra secundet incepta, curetque ut praeceptis monitisque Nostris obtemperent quotquot vestro parent nutui, ductuque vestro reguntur. — Interim tibi, Venerabilis Frater, aliisque memoratis dioecesium Praesulibus Indiarum Orientalium meritas habemus agimusque gratias pro exhibitis officiis, cunctaque fausta et felicia adprecantes, vobis, clero et fidelibus vestrae vigilantiae concreditis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VENERABILI DEI SERVO ANTONIO BALDINVCCI BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quod Redemptor humani generis dedit discipulis suis salutare praeceptum: *Euntes docete omnes gentes,* illud, non sine divinae providentiae consilio, omni aetate, in Ecclesia sua ita viguit, ut numquam desiderati in ea sint strenui ac sollertes Christi administri, qui mira erga proximos caritate inflammati, divinam sapientiam late populis traderent, et magno cum religionis incremento animarum salutem procurarent. Hi supernae veritatis praecones iure meritoque usurpare possunt dicta Pauli ad Corinthios: *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* — Societas Iesu tot sanctorum virorum educatrix atque altrix, multos protulit homines apostolicos, pietate, virtute et doctrina praestantes, quorum in numerum merito adsciscendus est Antonius Baldinucci, cui hodierno die caelitum beatorum honores so-

lemniter decernit Ecclesia. — Florentiae natus est anno christiano MDCLXV, honesto loco, genitoribus Catharina Scholaria et Philippo Baldinucci, viro non mediocris eruditionis, qui ex vulgatis operibus aliquid est apud posteros memoria dignum consecutus. Infans puer magnum subiit vitae discrimen: cum enim nutriculae in ulnis negligentius gestaretur, gravi prolapsione caput vehementer offendit. Sed Deus qui puerulum ad magna in suam gloriam et salutem animarum gerenda servare statuerat, fecit ut praeter expectationem a casu incolumis brevi relevaretur. Ubi e pueris excessit, accepta a parentibus virtutum documenta moribus suis optime expressit: pietatis enim studio, innocentia vitae, modestia et virtutis custode verecundia inter aequales suos ad exemplum enituit. Priusquam limen iuventutis attingeret, motus exemplo fratris, qui in Dominicianam familiam se receperat, et ipse in eamdem coepit cogitare. Quapropter animum suum patri aperuit, qui etiamsi filium suavissimum sibi eripi aegre ferret, illi tamen noluit intercedere: persuasit tantum, ut explorandae Dei voluntati, in asceterio Societatis Iesu, pietatis exercitationibus daret operam. Iis peractis, dum aliquantum orando ante excessum perstabat, improviso divinae gratiae illapsu invitari se ad Societatem ac prope sensit impelli. Venia a patre implorata, laeto atque alacri animo Societatem Iesu complexus est, et Romae ad Sancti Andreae in Quirinali tirocinium posuit. Facile cogitari potest ut in ea domo, inter illos memores parietes, Antonii animo suapte natura ad vir-

tutem acclini obiicerentur imagines tot sanctorum adolescentium, nominatim Stanislai Kostka, Rodulphi Acquaviva, aliorumque complurium, utque ipse exardesceret studio non solum imitandi tantas laudes, sed etiam, quantum posset, aemulandi. Post tirocinium, rhetoricae et philosophiae confecto curriculo, docendi munere, ut assolet in Societate, perfunctus est: deinde theologiae audiendae in Collegio Romano quadriennium impendit. Huic facultati dum impense studet, tanta vi morbi correptus est, ut medici de eius salute desperarent. Recreatus ex morbo, non bene tamen convaluit: quoad enim vixit male firma usus est valetudine. Sacerdotio initiatus est Florentiae, ubi in domo, quam vocant tertiae probationis, omnium virtutum exercitationi ac perfectioni se penitus dedidit. Etenim sanctus vir, apostolici ministerii desiderio flagrans, recte iudicavit, seipsum abundare oportere iis omnibus laudibus ad quas excitaret alios, et plus valere sermonem si confirmaret exemplo. Quamobrem, etsi haud satis instructum ac paratum propter summam animi demissionem se reputabat, Dei tamen ope fretus, a superioribus suis, quos semper certissime divinae voluntatis interpretes est veneratus, apostolicum munus, quod iamdudum exoptaverat, supplex sibi depoposcit. Facta potestate, laboriosissimam provinciam cepit, in qua multorum operariorum animos gerens, viginti annos constantissime desudavit. Quod quidem prope miraculo fuit; nimirum hominem, qui tam gracili esset corporis habitu et tam morbis et doloribus obnoxius, vitam adeo asperam

atque operosam agere potuisse. Sed Antonius illud sibi proposuerat, numquam sibi esse quiescendum, nullam valetudinis curam habendam, nullum otium, nullam neque corporis neque animi relaxationem sibi concedendam, ubi sempiterna proximorum salus ageretur. Quare videre est sanctum virum non difficultate itineris, non caeli inclementia, non periculis deterritum, oppida, pagos, vicos peditem lustrare, apostolicae caritatis vestigiis ubique relictis. Nulla umquam cessatio: diurno tempore ad populum concionem habet, nocturno virorum coetus separatim alloquitur, meridianis horis pueris puellisque doctrinam christianam tradit, si quod superest intervallum aegrotos invisit, solatur animum, morbi molestias humanissimis lenit officiis. Mirifice vero effulsit hominis caritas in dirimendis simultatibus et inimicitiis: nam saepe sermonibus suis dissidentes animos conciliavit, quos verbis flectere non potuit, flagellis in seipsum saeviens expugnavit, nec prius a vapulando desistere est solitus, quam pacem vel ab invitis non extorserit. Neque vero privatas tantum controversias composuit, sed publica etiam dissidia sustulit, interque finitimas civitates, se invicem odiis et praeliis conficientes, concordiam et tranquillitatem reduxit. Itaque quocumque Antonius iter faceret, pacem habebat comitem, ac propterea merito est appellatus Angelus pacis. Talis cum esset servus Dei, longe lateque de ipso fama sanctitatis percrebuit, ita ut catervatim undique ad eum conflueret cupida audiendi et videndi multitudo. Ipsi facinorosi homines, quos maleficio-

rum conscientia et sylvarum cultus efferaverant, non semel e latibulis suis educti sunt a caritate ipsius, qui ita humaniter atque amabiliter cum eis se gerebat, ut plerumque ii mansuefacti ponerent ferocia corda, et ad bonam frugem redirent. Huiusmodi sanctitatis famam dicitur Deus confirmasse prodigio, quod etiam nunc narratur et praedicatur a posteris. Constat enim, Antonium Baldinucci, quum olim per quoddam castellum Velitris citimum, cui vulgare nomen « *Giulianello* » iter faceret, rogatum ad populum habere concionem, libenter annuisse. Prae angustia curialis aedis in planitiem conventum est, ubi quum sub patula ulmo densis convestita frondibus, erat enim mensis aprilis, in eos inveheretur qui divinae misericordiae praesumptione male freti, in vitiis animum obfirmant, donec postremo Deum iustum iudicem experiuntur, repente divino afflatus spiritu clamavit: « Quot animas eorum putatis hoc momento in infernum labi? tot sane, quot ex hac arbore folia decidunt »: et protinus frondes maximam partem ex arbore deciderunt. Rei portentum non fugit homines agrestes, qui vehementer commoti sunt, eorumque singultus gemitusque non conticuere, donec summo cum animi dolore admissa non expiarunt. Ex iis quae dicta sunt, facile coniicitur, magnas ex hisce sacris expeditionibus permanare in populum christianum utilitates, nec temere est dicere, ubicumque servum Dei posuisset vestigium, faciem rerum immutasse. Morum licentiam coercet: scandala etiam inveterata penitus extirpat: blasphemos homines ab impia consuetu-

dine deterret: vitiorum etiam invitamenta prohibet. Contra vero inducuntur boni mores: sacramentorum commendatur frequentia: piae sodalitates, in honorem praesertim Dei Genitricis Mariae, cuius erat studiosissimus, instituuntur: opera pietatis et caritatis efflorescunt: demptis denique et evulsis ex agro Dominico cuiuscumque modi zizaniis, fruges uberes effunduntur. Iussus aliquando redire domum, quae Tusculi constituta ei erat, paupertatis tam fuit amans, ut nemo magis. In cubiculo habitavit angusto, humili, nudo a quavis supellectile non necessaria, id solum habente commodi quod continens esset templo et prospectum haberet in forum. Unde fiebat ut ad orandum frequentius alliceretur, et si convicia aut iurgia orirentur in foro, ipse citius accurreret, quam illa in vim et sanguinem erumperent. His atque aliis virtutibus egregie ornatus cum esset, et tot pro salute animarum defunctus laboribus, tandem ad vitae exitum non imprudens pervenit. Maturius enim quam solebat, egressus Tusculo, se non tam ad sacram expeditionem pergere quam ad mortem laetus affirmavit. Igitur cum de more suo in parvo quodam pago Latii, Pophio nomine, apostolicum munus aggressus esset, in morbum incidit, ex quo medici facile relevatum iri praedixerunt. At ille medentibus non credulus, sacerdotem sodalem suum ad se vocari rogat, cui praesenti non tam conscientiam aperuit, quam prodidit innocentiam. Paullo post quum se prae insolita quadam membrorum lassitudine sentiret morti proximum, ut imaginem Virginis Deiparae, qua in missio-

nibus usus erat, sibi morienti deferrent, postulavit. In eam obtutu atque animo fugiente defixo, usque dum loqui posse non desiit, iterans « Monstra te esse matrem », placidissime obiit annos natus tres et quinquaginta. Magna cum iam esset Antonii Baldinucci virtutum commendatio, magis aucta est post eius obitum et latius diffusa, ita ut Beatificationis et Canonizationis eius Causa penes Sacrorum Rituum Congregationem agitari coepta sit. Probationibus iuridice sumptis riteque expensis, eius virtutes heroicum attigisse gradum fel. rec. Pius Papa IX sollemni decreto sancivit v Kal. Ianuarias an. MDCCCLXXIII. Deinde Nos, per decretum VIII Kal. Apriles an. MDCCCXCII editum, de binis miraculis intercessione Venerabilis Antonii a Deo patratis constare, suprema auctoritate Nostra declaravimus. Illud restabat discutiendum, num Venerabilis Dei servus inter Beatos tuto foret recensendus. Quod propositum fuit a Reverendissimo Cardinali Raphaele Monaco La Valletta Episcopo Ostiensi et Veliterno, causae Relatore in generali Sacrorum Rituum Congregatione coram Nobis in aedibus Nostris Vaticanis VII Kal. Maias eodem anno coadunata; omnesque tum Rm̃i Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi, tum Patres Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium Nobis compararemus. Die vero Mariae nascenti sacra, eucharistico litato sacrificio, adstantibus Rm̃is Cardinalibus Caietano Aloisi-Masella Sacrorum Rituum Congregationis Prae-

fecto ac praefato Raphaele Monaco La Valletta, nec non R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, decrevimus, tuto procedi posse ad sollemnem Ven. Servi Dei Antonii Baldinucci Beatificationem. Quare Nos moti precibus Societatis Iesu, Auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi, facultatem facimus ut Ven. Servus Dei Antonius Baldinucci Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra Apostolica concedimus, ut de illo recitetur Officium, et Missa celebretur singulis annis de communi Confessoris non Pontificis cum orationibus tamen propriis per Nos approbatis. Hanc vero Missae celebrationem fieri dumtaxat concedimus in templis omnibus atque oratoriis, quibus utitur Societas Iesu, nec non ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad ecclesias in quibus festum agitur convenientibus. Denique concedimus, ut sollemnia beatificationis Venerabilis Servi Dei Antonii Baldinucci in templis supra dictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus diebus per Ordinarium designandis intra annum postquam eadem sollemnia in Aula superioris pronai Basilicae Vaticanae fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supra dictae Congre-

gationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXV Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Loco ✠ Sigilli

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTO FILIO
HIERONYMO RIBET CANONICO
TOLOSAM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Recte tu quidem minime dubitasti, quin istum, quem foves, in Nos animum et missa dono volumina libente Nos voluntate acciperemus. Nihil enim optatius fuerit, quam filium, quemadmodum te profiteris et probas, omnino habere obsequentem, vera bona accurantem, honestos laborum fructus pie exhibentem patri. Laudanda sane promerita tua, qui, quum sacris deditam iuventutem ad studia maiora pietatemque multos annos instituisses, gravibus praeterea editis scriptis, de luce doctrinae tuae et spiritus ardore alia suppeditaveris adiumenta. — Propositis laboribusque tuis quaesiti fructus optamus respondeant; tuque inde capias vires et animos, ut eo studiosius eoque pluribus gratificeris similiter. In quo valde te iuverit perpendisse, tum quantum operâ sacerdotalis ordinis, pru-

dentiae plena et virtutis, tempora indigeant, tum praemia quam magna ordo ipse sacerdotalis, si minus a saeculo, at certe in Ecclesiae memoria et apud Deum sit relaturus. — Nunc tibi pro muneribus et votis, quibus anniversarium diem quinquagesimum episcopatus suscepti es Nobis prosecutus, tribuimus ex animo gratiam, teste Apostolica benedictione, quam tibi tuisque omni benevolentia impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

OCTAVIO CAGNACCI SOC. IESV

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Dum silent fereque iacent litterae optimae, gratissima Nos in carminibus tuis tenuit oblectatio. Eam quippe incorruptae speciem poëticae obtulerunt expressam quam cernimus animo, quamque in praeclaris illis aetatis aureae scriptoribus vividam et illustrem admirari consuevimus, itemque nunc ut florenti aetate adamamus. Tui autem iudicii elegantia eo magis praestat, quod leges decoris omnisque pulcritudinis, natura et arte ratas, non modo colueris perstudiose, sed apte ad sacra nostra sciteque ad res adhuc indictas accommodaveris, dignitate pariter affluens et venustate. Qua de re quum gratulamur tibi, Societati Iesu itidem gratulamur, quae facultatem istam tuam mater sollers aluit limavitque: cui propterea in hoc etiam disciplinarum genere, conversis licet hominum ingeniis et studiis, laus pristina manet, promerita accrescunt.

Tu vero qui Nobis utramque quinquagenariam faustitatem, tum Sacerdotii suscepti, tum Episcopatus, iterato carminum munere exornasti, crede quidem benevolentiam te tibi Nostram egregie adiunxisse, cuius habe testem Apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, ad ampliora Dei concilianda praesidia, rite invocamus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
LEONI EPISCOPO PORTVS LVDOVICI
PORTVM LVDOVICI

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Commode ac scite cogitatum fuit a te lectoque numero dilectorum filiorum, qui nomen sibi *catholicam Unionem* assumpsit, ut quinquagesimo episcopatus Nostri anno exeunte, per litteras saltem Nos adiretis, quos ingens seiungit a vobis spatium terrae marisque interiectum. Non levis ex hoc officio vestro facta est accessio gratulationi Nostrae, nam quum fideles omnes, qui ubique terrarum sunt, pari complectamur caritatis affectu, eo maius capimus gaudium ex rebus secundis, quo plures esse novimus eiusdem laetitiae participes. Vestra autem studia ideo iucundius Nos affecere, quod intelleximus pias a vobis effundi preces, ut verba veritatis, quae serimus, gratiae suae rore fecundet Deus, deque infensis hostibus victricem praestet Ecclesiam suam, in cuius victoria et libertate etiam pu-

blica salus et gentium prosperitas sita est. Iamvero dum optamus ut votis hisce vestris benigne Deus annuat, hoc insuper ab Eo petimus ut partem istam gregis sui, quae tibi credita est, Venerabiles Frater, magis magisque in fide confirmet, et abundare faciat bonis operibus, gratiaeque suae donis exornet amplissime. Atque huius divinae benignitatis auspicium esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam tibi, praedictoque coetui, nec non clero et fidelibus reliquis dioecesis tuae, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Martii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VENERABILIBVS DEI SERVIS
RODVLPHO ACQVAVIVA ALPHONSO PACECO ANTONIO FRANCISCI
PETRO BERNI ET FRANCISCO ARANEA
BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Sacrae ad Indos expeditiones, sancti Francisci Xaverii fecundatae sudoribus, sicut Deo gloriam, atque aeternam multis salutem, ita eximiam recte factorum laudem Societati Iesu pepererunt. Amplum sane atque uberem campum ipsa in Indiis nacta est, ubi operariorum suorum elaboraret industria, sed qui tali esset natura comparatus, ut caelestem non conciperet comprehenderetque sementem, nisi prius irrigatus esset sanguine martyrum. Nec defuit huic officio Societas Iesu, quae manipulum martyrum in Indiis caesum videt gaudetque hodierno die in numerum beatorum caelitum recenseri, novumque ab iis decus atque ornamentum sibi sentit accedere. Sunt hi, Rodulphus Acquaviva, Alphonsus Paceco, Antonius Francisci, Petrus Berni et Franciscus Aranea, de quibus placet comme-

morare aliquid, quo videantur singuli quibus praediti virtutibus insigne pro Christo martyrium fecerint. — Rodulphus Acquaviva, nobilissima ortus gente, virtute fuit multo nobilior. Parentes habuit Ioannem Hieronymum et Margaritam Piam Carpensem, Hatriae duces, qui amplitudinem generis suis laudibus provexere. Pueritiam in paterna domo innocentissime egit: ubi ad annum quartum supra decimum pervenit, tantum in se pietate et omni genere virtutis excolendo profecerat, quantum adulta eius sanctitas deinceps declaravit. Caritas erga egenos in eo ita praestitit, ut non semel cum sibi liberalitate exhausto nummorum nihil esset reliquum, detractis vestimentis, inopes induerit, ipse domum redierit seminudus. Caritas erga proximum germanam in Deum caritatem incendit, quam ut melius tueretur atque aleret, se totum Deo in Societate Iesu tradere planeque devovere constituit. Optatis suis adversos habuit amantissimos parentes, sed ipse satius duxit vocem Dei ad perfectioris vitae genus invitantis audire, quam reclamitantis naturae a sanctoque proposito revocantis. Romam igitur profectus, expugnato tandem patris animo, Societatem iniit, e sua gente non primus. Praecesserat enim eum patruus nomine Claudio, qui multos post annos Societatis gubernaculum tenuit: praeterea cum S. Aloisio Gonzaga consanguinitate ob communem proaviam coniunctus erat. Collega tirocinii usus est Stanislao Kostka, cuius praeclarissimas virtutes aemulari potius, quam imitari visus est. Sed par adolescentium nobilissimum quam dispar manet exitus: alter enim sin-

gulari gratia vitam inoffensam praetervolat, alteri pro Christo inter saevos cruciatus est pereundum. Absoluto tirocinio, et data opera iis disciplinis, quibus alumni Societatis erudiuntur, sacras ad Indos expeditiones coepit cogitare. Nam per id tempus in Societate Iesu illud accidebat, ut optimus quisque, spe martyrii, Indicas missiones sibi deposceret. At Rodulpho virium imbecillitas atque invaletudo moram et impedimentum inferebant. Ille tamen omnia pervincit: quod enim denegatur ei ab hominibus, a Deo exorat. Quapropter singulari Dei concessu et munere factum est, ut praeter expectationem omnium in Indiam sit legatus. Olisipone sacerdotio auctus, navim solventem in Indiam alacer conscendit, et sospite cursu Goam pertingit. Ibi postquam improbos in Imperio mongolico labores exantlasset, a praepositis suis expeditioni Salsetanae praeficitur. — Aequalis huius Alphonsus Pacecus pari fuit nobilitate atque opulentia genitus ex Ioanne et Catharina Alarconia, qui Alinaiae aliorumque castrorum domini erant. Alinaiae primum deinde Belmonte eas artes addidicit, quibus aetas puerilis ad humanitatem solet informari. At litteris non magis studuit quam pietati, cuius laude ita puer floruit, ut magnam apud omnes spem et expectationem sui concitaverit. Neque opinionem hominum fefellit eventus. Factus enim adolescens, domum affluentem divitiis, claritatem nominis atque avita decora non ex opinione vulgi sed ex veritate aestimans, his omnibus fluxis et caducis aeternam animi salutem praeoptavit. Quapropter rebus omnibus, iis praesertim quae

ad naturales caritates pertinent, celerius quam potuit, se expediens, in Societatem Iesu tamquam ad suum perfugium convolavit. Brevi temporis spatio tam solidae dedit pietatis et doctrinae documenta, ut dignus habitus sit cui apostolicum munus apud Indos gerendum traderetur. Ea res ubi est Alphonso nuntiata, lacrimare gaudio sublatisque in caelum manibus Deo gratias agere quod se non merentem deligeret. Ad Indicas oras adnavigare iussus, felici transmissione Goam pervenit. Ibi primum administri Collegii munus explevit, deinde Praeposito illius provinciae comes et adiutor apparuit. In expediendis negotiis numquam a cogitatione Dei et rerum caelestium est abstractus, ita ut in toto corporis habitu pietas eluceret. Homo summa prudentia, consilio, docilitate, multis et gravibus muneribus est perfunctus. Procurator Missionum Romam ad summum Societatis moderatorem, deinde in Lusitaniam ad Regem Fidelissimum missus est. Rebus e sententia peractis, Collegii Salsetani praeses neophytorumque magister renunciatus, oceanum relegit, et socium navigationis habet Antonium Francisci.

Hic cum Antonio Patavino sicut commune habuit natale solum et nomen, ita pari studio fidei propagandae sibique martyrii gloriam demerendi est inflammatus. In ipso flore ineuntis aetatis Societatem Iesu amplexus est, et antequam sacerdos evaderet, Indicam expeditionem, unde sibi palmam obventuram sperabat, cupide expetivit. Deo adiuvante, factus est voti compos. Nam eadem, qua Pacecus, navi advectus in Indias, Goae portum tenuit. Ibi

theologiae emenso curriculo, singulari animi gaudio sacerdotio initiatus est. Iussu Praesidis in Molucum navigaturus erat, sed foeda coorta tempestate navis iactata fluctibus Goam reiicitur. Deus enim servum suum martyrii desiderio flagrantem noluit de statione decedere, ubi illud ei obviam futurum erat. Quare creatus est Curio Orlinensis Ecclesiae in peninsula Salsetana.

Quartus accedit Petrus Berni. — Arcona, oppidum ad litus Verbani lacus, Petri fuit patria, ubi ille altus et doctus est. Nondum sacerdos enim, quum annos natus esset quinque et viginti in Societatem Iesu est receptus. Hic in excolenda vinea Domini laboriosus ac strenuus, siquis alius, operarius fuit. Romae tirocinio nondum exacto, paucis post mensibus quam Societati nomen dederat, Indica expeditio ei decernitur. Faustissimi nuntii novitate permotus, gratias eo maiores agere coepit, quo minus tanto munere se dignum iudicabat. Nulla mora interposita, prima navigatione in Indiam transmittit, Goae portum occupat. Ad Salsetanos edocendos statim missus, tantam habuit alacritatem in expeditione suscipienda, quantam postea constantiam in conficienda. Nulla umquam difficultate est deterritus quominus omnes delati muneris partes non integre expleret. Adeunda erant loca inviis itineribus remota, peragrandae regiones magnitudine immensae, superandi montes, tranandа flumina, capitis pericula subeunda: ille nihilo segnius in coeptum insistit. Peregrino labore defatigatus, non fractus, stationes sibi designatas invisit, neophytos in fide confirmat, iis qui in tenebris et in umbra

mortis sedent lumen veritatis affert. Sed quum apud Coculinenses apostolico munere fungeretur, gentis pertinacissimae superstitionibus cognitis, illinc se salvum non discessurum praesensit.

Quatuor hisce comes adiunctus est Franciscus Aranea lusitanus, qui etsi honesto loco natus erat, consanguinitate quippe devinctus cum Gaspare Aranea primo Archiepiscopo Goano, tamen qua erat animi demissione in Societate Iesu, quam Goae iniit, rei domesticae adiutor esse maluit. Non expers architecturae, aedes sacras in Salsetana regione ad maiorem Dei cultum exstruendas curabat: saepe ipse tamquam infimus operarius, manum admovere operi non recusabat. Inter labores in rudibus infimique generis hominibus erudiendis studium posuit. Vir summae patientiae, non sine magna catholici nominis utilitate versatus est inter barbaros, quorum ferenda saepe fuit asperitas, et mansuetudine lenienda ferocitas. Sic humilis sodalis proximorum saluti et Dei gloriae prospexit, cum iis, quibus operam praestabat suam, virtute comparandus.

Tales cum essent servi Dei et tot tantisque laudibus egregie ornati, sacris expeditionibus in Salseta operam navabant, ibique versabantur tamquam placidae oves inter ferocissimos lupos. Salseta, peninsula ad occidentem versa, quinque circiter passuum millia seiungitur a Goa; regio ferax, instructa portubus ad importandas exportandasque merces, ea tempestate Lusitanorum dominatu tenebatur. Qui quidem christianae fidei propagationis studiosi divinum cultum provehere, deletisque idolorum delubris, aedes

Deo sacras erigendas curabant. Quapropter Rodulphus opportunum nactus tempus, Coculinum ire constituit, quo in oppido, etsi Brachmanum factio nefandae religionis sacerdotum ibi plurimum apud populum valebat, templum Dei cultui excitare statuerat. Postridie Idus Iulias ipse et quatuor sodales, quos supra memoravimus, Coculinum versus iter instituunt. Comitabantur illos officii potius quam praesidii causa quinquaginta Orlinenses. Brachmanes de adventu sodalium certiores facti, in publicum prodeunt pleni luctus, et infimae plebis furorem excitare student: vae miserae civitati si alienigenas sacerdotes novas religiones, nova numina inferentes, tamquam contagium et pestem non propulsent: omnes ad unum sacerdotes Crucis esse mactandos: si fecerint, Deos propitios, copiam rerum omnium, libertatem, prosperitatem largituros, pollicentur. Hisce dictis inflammata plebs capit arma, quae furor ministrat, et tamquam signo dato in occursum sodalium extra moenia proripiuntur. Rodulphus tumultum et pulverem procul videns, tanti concursus causam praecepit, comitesque dimittere voluit. Abscedere nolentes, nominatim Lusitanos aliquot, qui aderant armati, orat atque obsecrat ut pedem referant, se Coculinensibus salutem afferre voluisse non mortem: deinde ad signum Crucis quae iam defixa erat in loco futurarum aedium, recipit parvam suorum manum, adhortaturque: macti virtute sint: illuxisse tandem diem quam exoptaverant: se beatos existiment, quibus tam facilis ad caelum aditus patet. Orlinensis quidam praetervehens equo, Rodulphum

orat ut equum capiat et fuga se ab hostibus proripiat. — Tu quidem abi, inquit Rodulphus, cave ne frustra miserando utile fugae tempus absumas; ego consortes cum fratribus meis casus non evadam. — Haec locutus, quum aliquantum in adventantes hostes processisset, quinque vulneribus sauciatus interiit. Sic Aloisius et Rodulphus qui affinitate coniuncti erant, coniunctiores quodammodo facti sunt communione gloriosae mortis: ille enim caritatis, hic fidei martyr occubuit. Proxime Rodulphum, invasere Franciscum Aranea, quem ferro vulneratum in gutture, lanceaque in costas adacta pro mortuo relinquunt. Post hunc obtruncant Petrum Berni, effossoque illi altero ex oculis, et dextera aure desecta corpus saeve dilacerant. Alphonsus Paceco, cum quidam ei lanceam per costas adigeret, decussatis brachiis ictum excipiens, sublatisque in caelum oculis: « Tu, inquit, Domine, lancea pro me confixus es », et duplici vulnere accepto concidit exanimis. Ultimus Antonius Francisci multis iam vulneribus caesus, demum avulso capite conficitur. Coculinenses in strage et sanguine bacchantes: « Nunc terram, exclamant, ad fundamenta vestrorum templorum metimini iacentes, nunc ponite altaria, tollite cruces »; simulque in Araneam adhuc exspirantem crudeliter saeviunt. Sic in peninsula salsetana, insigni pro fide facto martyrio, invicti heroes ceciderunt, quorum fama ex Asia in Europam cito pervenit.

Hinc, ordinariis et apostolicis inquisitionibus mature praemissis, aliisque ad iuris normam peractis, denique de

martyrio eiusque causa fel. rec. Benedictus Papa XIV decretum edidit XIII Kal. Septembres an. MDCCXLI. Nos autem de signis martyrium ipsum confirmantibus Idibus Novembris superioris anni constare decrevimus. Demum ad actorum legitimam seriem perficiendam in generali sacrae Rituum Congregationis conventu, qui habitus est proximo anno XIII Kal. Ianuarias in Nostris aedibus Vaticanis coram Nobis, propositum fuit dubium, an sollemnes Beatorum caelitum honores tuto eisdem servis Dei liceret decerni, idque tuto fieri posse unanimi consensione responderunt. Nos tamen supremum Nostrum de hoc negotio iudicium non illico pronuntiavimus, rati supernae opis gratiam esse interea implorandam. Die vero, qua puer Iesus a Magis adoratus recolitur, Nos, pacis hostia perlitata, decreta ediximus tuto procedi posse ad sollemnem horum servorum Dei Beatificationem. Quae cum ita sint, moti precibus universae Societatis Iesu, Nos auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi, facultatem facimus ut servi Dei Rodulphus Acquaviva, Alphonsus Paceco, Antonius Francisci, Petrus Berni et Franciscus Aranea Beatorum nomine in posterum nuncupentur, eorumque corpus, et lipsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, et imagines radiis decorentur. Deinde eadem auctoritate Nostra concedimus ut de iis quotannis recitetur Officium et Missa de communi martyrum cum Orationibus propriis a Nobis approbatis, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas: eiusdem vero Officii

recitationem fieri concedimus in dioecesi Goana et in omnibus Ecclesiis quibus utitur Societas Iesu, ab omnibus qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missam attinet, ab omnibus Sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur convenientibus. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis supra dictorum Servorum Dei in templis supra dictis celebrentur cum Officio et Missa duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinario designanda intra primum annum postquam eadem sollemnia in aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supra dictae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die II Aprilis MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

L. ✠ S.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

IOANNI BAPTISTAE EPISCOPO TIT. MYRIOPHYTENSI

VICARIO APOSTOLICO TCHELY SEPTENTRIONALIS

PEKINVM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod laetis eorum vocibus, qui Nos circumstant, tua etiam adiecta sit gratulatio et cleri, cui praesides, quum decimum implevimus lustrum episcopatus Nostri, id Nobis longe gratissimum accidit. Eo maior enim visa est vestri amoris vis et pietatis praestantia, quo ampliorem esse novimus distantiam loci, quae a Nobis vos arcet, et graviores rerum difficultates in quibus versamini. Huc illud accessit, quod officia vestra per litteras exhibita, die xx Novembris datas, cumulare volueritis oblato munere, quod simul praeberet Nobis dilectionis vestrae argumentum et specimen artis eximiae gentis istius, cuius conversioni et saluti zelum operamque vestram impenditis. Iamvero quoniam benigne dedit Deus ut artem istam concinne adhi-

bitam videremus ad augendum Sanctae Crucis honorem, eum suppliciter rogamus, ut quamplurimos gentis eiusdem, ministerio vestro, fideles Domini in cruce defixi cultores efficiat. Dum itaque meritas pro vestris erga Nos officiis vobis agimus gratias, valida vobis adprecamur gratiae caelestis auxilia, quorum ope Apostolicos labores vestros uberrima messis sequatur. — Testem interea benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, cooperatoribus tuis, cunctisque fidelibus curationi tuae demandatis, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Aprilis MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VENERABILIBVS DEI SERVIS
PETRO SANZ FRANCISCO SERRANO IOACHIMO ROYO
IOANNI ALCOBER ET FRANCISCO DIAZ
BEATORVM CAELITVM HONORES DECERNVNTVR

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Totum mundum martyribus plenum Magnus sanctaeque memoriae Praedecessor Noster Gregorius Papa mirabatur, atque in vigesima septima homilia aiebat: « Iam pene « tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes ha- « bemus ». Et sane ab ipsis primordiis innumerorum Martyrum rigata sanguine adolevit Ecclesia, neque unquam illi in posterum miranda fortitudinis exempla defuerunt. Quemadmodum in omnem terram exivit sonus eorum, et barbaras in gentes, atque inhospita littora Christi praecones Evangelicam lucem inferre sunt conati, ita et terrarum orbis regiones pretioso Martyrum sanguine rubuerunt. Romani autem Pontifices, quibus divinitus universi Dominici gregis cura concredita, ut populum christianum ad fortia exempla imitanda excitarent, gloriosas Martyrum

memorias religiosa iugiter solemnitate recolere consueverunt, et vel a primis Ecclesiae saeculis publicum Martyribus cultum, caelitumque honores decrevere.

Praeclarissimos hos inter praeliatores, et adsertores nominis Christi, quos, ut S. Cyprianus scripsit, ipse Iesus Dominus « in acie confirmavit, erexit, qui pugnavit et « vicit in servis suis », iure adnumerandi sunt invicti fidei pugiles Petrus Martyr Sanz, Episcopus Mauricastrensis et Vicarius Apostolicus Provinciae Fokiensis in Regno Sinarum; Franciscus Serrano, Episcopus electus Tipasitanus, et Apostolicus eiusdem Provinciae Vicarius; Ioachimus Royo, Ioannes Alcober et Franciscus Diaz, Sacerdotes Missionarii ex Ordine Praedicatorum, qui superiori saeculo ab idololatris Sinensibus in odium christianae religionis interfecti, exercitam Apostolicis laboribus vitam, strenue pro fide certantes, conclusere, nullaque vi aut cruciatu devicti luculentissimum sanguine suo divini nominis gloriae testimonium praebuerunt. Hi quinque fortissimi Iesu Christi athletae catholici Hispaniarum Regni cives, atque illustris Gusmanae familiae filii fuerunt. Adolescentuli adhuc longinquas et barbaras regiones animo volvebant, itinera, labores, divini verbi praeconium inter ethnicos mente moliebantur. Gentes multitudine innumerabiles locisque infinitas, sed impia superstitione coecas, immanitate efferatas meditabantur, atque inibi dilatare tentoria Israel, christianae religionis beneficia effundere, se ipsos caritati devovere, mortemque pro Christo oppetere inhiabant. Religionis igitur ac verae fidei provehendae zelo, simul-

que gloriosae pro Christo mortis desiderio adducti, ut ad praedicandum infidelibus Evangelium mitterentur, supplici prece Ordinis sui praesules adire non dubitarunt. Nobilissimi voti compotes effecti, diversis licet annis, in Sinas se contulerunt. Non illos patriae caritas, non maris tempestatumque furor, non longi itineris labor, non Apostolici ministerii periculum de sententia deterruit. Atqui efferatam idololatrarum atrocitatem, gliscens in iis regionibus contra catholicos bellum, certissimum subeundum vitae discrimen, et quae sibi barbari tortores pararent, sciebant. Nihilominus nullis curis, nullisque parcentes laboribus, alacritate summa, apostolatus sui partibus fungebantur, ante omnes Venerabilis Dei Famulus Petrus Martyr Sanz, qui ab Apostolica Sede, ob praestantissima merita, Mauricastrensis Episcopus et Vicarius Apostolicus Provinciae Fokiensis in Regno Sinarum renuntiatus, Missionis totius regimen et administrationem sollicito studio et egregia prudentiae consiliique laude moderabatur. Dirissima per id temporis persecutio, quae anno MDCCXXIX in Christifideles saevierat, quodam modo sedata Fokiensi in Provincia videbatur, sed omnino extincta nondum erat. Quare Venerabilibus Dei famulis, dum fidei propagandae operam impense navant, ac sollerti industria fidelibus, ac praecipue aegrotis, religionis christianae subsidia afferunt, ne in persecutorum manus inciderent, prudentia maxima opus erat. Nihilominus complures homines verae doctrinae aures praebentes piacularibus aquis abluuntur, magna fit morum conversio, et universi fere urbis Fo-gan cives

Christo auctorantur. Sed strenuos fidei pugiles ad potiora vocabat Dominus. Anno enim MDCCXLVI, auctore viro infideli, qui a consiliis erat militaris Praefecti, acrior ac dirior adversus Christianos persecutionis tempestas oboritur. Hic nequam, ipsisque infidelibus invisus, atque immoderata auri fame detentus homo, a diversore Venerabilis Dei famuli Petri Sanz mutuam pecuniam efflagitavit, sed ab immerita petitione reiectus, in vindictam aestuavit. Et continuo accusationis libellum ad supremum Provinciae Tribunal dedit, contemni in urbe leges, Europaeos Evangelii praecones hospitio impune excipi, contra Imperatoris decretum plura Sinensium millia Christi legem profiteri. Addidit et missionariorum et fidelium nomina, et loca, in quibus ipsi conventus agerent, designavit. Ad Pro-Regem, hostem catholici nominis infensissimum, accusatione delata, extemplo horrendum in Fokiensi Provincia christianae genti bellum indictum. Armata militum manus, significata ab improbo delatore loca pervadit: fidelium domus excubiis cinguntur, sacrae supellectiles diripiuntur, Missionariorum hospites male multantur. In satellitum manus primus incidit Venerabilis Dei famulus Ioannes Alcober, postremus Venerabilis Ioachimus Royo, qui cum diu huc illuc delituisset, iussu tandem Episcopi Mauricastrensis, iam in vincula coniecti, ultro se persecutoribus obtulit, ne crudelior in christianos furor infidelium evaderet. Mox ad urbem Fo-cheu, longo itinere ac fame prorsus enecti, catenis manicisque constricti deducuntur, ibique in publicis custodiis detenti, miranda pa-

tientiae, pietatis, constantiae ac fortitudinis exhibent testimonia. Pluries ad tribunal adducti, pluries a iudicibus diris cruciatibus in quaestionem vocati, confessionem fidei interrito invictoque animo iterant, ac minas inter et convicia humana augustiorem serenitatem praeseferunt, desideriumque, quo flagrant, sanguinem pro Christo effundendi. « Steterunt, scilicet, ut S. Cypriani verbis utamur, tor« quentibus fortiores, et saevissima diu plaga repetita in« expugnabilem fidem expugnare non potuit ». Inter compedes carcerisque squallorem, et qui ad eos invisendos accederent, et alios captivos et satellites ipsos ad verae religionis professionem flexanimis verbis hortabantur, tantaeque fortitudinis exemplo et fidelium animos confirmabant, et idololatrarum etiam admirationem sibi pariebant. Integer iam ferme annus se verterat, ex quo Venerabiles quinque Dei famuli in vincula coniecti erant; iam coram primis et alteris iudicibus, ipsoque coram Pro-Rege suam quisque causam dixerat; iam singuli catholicam fidem iterum iterumque verbo et opere confessi, sinenses ritus forti pectore despexerant ac damnaverant, quum iudiciali ordine legitime absoluto, eo res deducta fuerat, ut sententia pronuntiaretur. Itaque pro tribunali sedens Pro-Rex, Venerabilibus quinque Iesu Christi Athletis coram se accitis, in haec verba sententiam protulit: « Petrus Sanz, « eo quod sicut caput religionis christianae, suaque falsa « doctrina dementet viros ac mulieres, illico capite plecta« tur; Franciscus Serrano, Ioachimus Royo, Ioannes Al« cober et Franciscus Diaz, eo quod eadem falsa doctrina

« in errorem ac deceptionem plebem inducant, decolla-« tionis rei declarantur, sed in carceribus novum decre-« tum expectent ». Veluti nautae, qui longo maris itinere confecti, optatum tandem portum conspicerent, laetitia et gaudio maximo Venerabiles Dei famuli sententiam audientes afficiuntur, sed intensiori idcirco in catholicam fidem odio exardescens improbus Pro-Rex, statim illam ad Imperatorem mittendam curat, supremam ipsius sanctionem enixis precibus expostulans. Quare paucos post menses, confirmata ab Imperatore sententia, Venerabilis Dei famulus Petrus Sanz, Episcopus Mauricastrensis, carcere eductus, denuo ad Pro-Regis tribunal trahitur; ibi coram urbis Gubernatore et militiae Praefecto in genua provolutus feralem sententiam supremamque illius sanctionem audit; ac mox duplici fune brachiis post tergum vinctis, ad supplicii locum milites inter ac lictores incedit. Inscriptam in haec verba tabellam collo Christi Martyr gerebat: « Decreto Imperatoris capite plecti-« tur, propterea quod falsa doctrina decipiat, perver-« tatque corda hominum: eius nomen est Petrus, sit « cunctis in exemplum ». Praeclara tristi in itinere pietatis caritatisque ab ipso argumenta edita; moerore ac tristitia oppressis fidelibus: « bono animo estote, aiebat, « optime, optime, nonne gaudere debemus quod propter « legem Dei nostri morimur » ? Mortalis fere impatiens vinculi, fervida sese in Deum precatione attollebat, et quo superhumano flagraret gaudio ex ore ipso vultuque emicabat. Ubi ventum est in supplicii locum, iussu carnificis

genua flectit, ac solum ab illo tantum temporis spatium exorat, donec coeptas preces absolvat; his peractis, admonens lictorem, ut cito munus suum expleat, ultro libensque cervicem securi praebet. — Interea quatuor alii superstites Venerabiles Dei famuli, novum in custodiis decretum, erecto ac flecti nescio animo expectabant. Inustam in facie, barbarum in morem, mortis sententiam quasi gloriae signum fidelibus ostendebant, ac iugiter supplici prece Deum prosequebantur, ne desideratissima martyrii palma destituerentur. Iam bini post inclitum Mauricastrensis obitum effluxerant menses, quum, pii cuiusdam Sacerdotis industria, detento in urbis Fo-cheu carceribus Francisco Serrano Litterae Apostolicae sunt traditae, quarum vi ipse, Episcopus Tipasitanus renuntiatus, in Coadiutorem Petri Martyris Sanz pro Vicariatu Apostolico provinciae Fo-kien regendo eligebatur, nondum enim Romam martyrii nuncius pervenerat. Sed ad gloriosum pastoralium laborum finem Venerabiles Dei famuli properabant. Iam vagus in vulgus manaverat rumor, futurum ut Imperator capitis poenam captivis Missionariis in exilium commutaret, quum novus Pro-Rex, qui non minori, quam praedecessor, christianum in nomen odio ferebatur, inito cum civitatis ac provinciae proceribus consilio, Servos Dei in carceribus clam enecandos decrevit; Imperatori deinceps relaturus, illos, diutinae custodiae incommodis ac aerumnis confectos, ex hac vita migrasse. Intempesta itaque nocte diri satellites in Venerabilium Dei Servorum cellas irrumpunt, ac primum Franciscum Serrano et Ioachim Royo, qui venientes comiter ex-

ceperant, et laeti mortis nuncium audierant, occlusis respirationis viis interimunt; postea Francisco Diaz et Ioanni Alcober intortis collo funibus spiritum elidunt. Sic a strenuissimis fidei adsertoribus pretio sanguinis empta immortalitas. Sic primi ad Sinas, ex inclito Praedicatorum Ordine, missi Evangelii praecones gloriosam martyrii palmam adepti sunt; eidemque Ordini, iam tot tantisque in rem catholicam meritis conspicuo, decus novum atque ornamentum addiderunt. Neque caelestia signa defuere. Mira enim corporum incorruptio, supranaturalis splendor a suaveolentibus Venerabilium Dei Servorum exuviis emicans, pervicacium quorumdam infidelium conversio ad fidem, teterrimae denique poenae, quibus tyranni aliique caedis auctores obnoxii fuerunt, Martyrum gloriam luculenter confirmarunt. Quare de ipsorum Beatificationis causa apud Congregationem sacris tuendis ritibus praepositam agi coeptum est, ac iuridicis probationibus rite expensis, de quinque Venerabilium Servorum Dei martyrio, causaque martyrii, VI Idus Iunias anno MDCCLXXVII fel. rec. Pius PP. VI Praedecessor Noster constare declaravit. Postea integrum post elapsum saeculum, de signis martyrium ipsum confirmantibus Nos Idibus Novembribus superioris anni decretum tulimus. Hisce peractis, ad legitimum causae complementum supererat, ut Venerabiles Fratres Nostri eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales rogarentur, num stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii et causae martyrii, pluribus signis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores iisdem Dei

Servis decernendos; hique in generali conventu eodem anno XIII Kalendas Ianuarias coram Nobis habito, tuto id fieri posse unanimi consensione responderunt. Attamen in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem anni vertentis die, qua salutis nostrae Auctorem in cunabulis Magi venerati sunt, sollemni decreto pronunciavimus, procedi tuto posse ad dictorum quinque Venerabilium Dei Famulorum Beatificationem.

Quae cum ita sint, Nos, precibus etiam permoti universi Praedicatorum Ordinis, Auctoritate Nostra Apostolica, praesentium vi, facultatem facimus, ut Venerabiles Dei famuli Petrus Martyr Sanz Episcopus Mauricastrensis et Vicarius Apostolicus Provinciae Fo-kien in Regno Sinarum, Franciscus Serrano electus Episcopus Tipasitanus et Vicarius Apostolicus eiusdem Provinciae Fo-kien, Ioachimus Royo, Ioannes Alcober et Franciscus Diaz, Sacerdotes Missionarii ex Ordine Praedicatorum, Beatorum nomine in posterum nuncupentur, eorumque corpora, lypsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa de communi Martyrum cum orationibus propriis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani, per Nos approbatis. Eiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus tum intra fines Vicariatus Apostolici

Fo-kien, tum in omnibus templis coenobiis Ordinis Praedicatorum adnexis, ab omnibus Christifidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet ab omnibus Sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus. Denique concedimus, ut sollemnia Beatificationis eorumdem quinque Martyrum supradictis in templis celebrentur, cum Officio et Missis duplicis maioris ritus; quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium definienda intra primum annum, postquam eadem sollemnia in aula superiori porticus Basilicae Vaticanae celebrata fuerint. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVIII Aprilis MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

L. ✠ S.

S. Card. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
HERMANNO EPISCOPO MONASTERIENSI
MONASTERIVM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iampridem ad Nos, vel ex ista dioecesi tua, manavit fama, quam incensâ fideles pietate effusisque laetitiis, non secus ac deditissimi filii in patrem, singularem eum diem concordes celebraverint, qui anniversarius Nobis quinquagesimus episcopalis consecrationis feliciter illuxit. Benignissimum Deum Nos equidem, redundante gratiis animo, laudare satis non possumus, quod ex eodem rei eventu, tum aetatem Nostram solari aegritudinesque lenire, tum vero virtutem Ecclesiae et gloriam in gentibus amplificare voluerit; ita plane, ut cuius *unum* cohaeret *corpus, unus* et *spiritus* in Capite suo colendo insignius praecelleret. — Fuit autem iucundum, Venerabilis Frater, admissis ad Nos canonico Vicario tuo et ceteris tuis Nostrisque dilectis filiis, accipere ex eis communia obsequii

vestri et amoris officia, amplissima gratulatione et larga petriana stipe optime luculenterque confirmata. Etsi vero sensa paternae caritatis Nostrae, ad te primum et ad omnes populares suos referenda, eis ipsis credidimus, voluimus tamen perceptum inde gaudii et consolationis fructum, datâ proprie epistola, tecum communicare, cuius pastorali curae atque eximiae in Apostolicam Sedem voluntati eumdem Nos fructum haud parum debuisse intelleximus. — Nunc, sublatis ad Deum oculis, providentiae et misericordiae eius divitias carissimae ecclesiae Monasteriensi summis precibus imploramus; votorum auspice Apostolica benedictione, quam tibi, Venerabilis Frater, et clero populoque tuo peramanter largimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Aprilis MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ANTONIO ARCHIEPISCOPO MONACHIENSI ET FRISINGENSI
FRISINGAM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nosti profecto nihil esse Nobis optatius in hac temporum difficultate, quam ut in dies magis patefiat summa animorum consensio inter Sacrorum Antistites, eorumque coniunctio cum hac Apostolica Sede, cuius non modo facessant iussa, sed et ultro expleant desideria. Quum utriusque rei luculentum Nobis indicium praebuerint obsequiosae litterae, quas die huiusce mensis octava ad Nos dedisti cum aliis Antistitibus regni Bavarici, facile aestimare potes quam iucunda Nobis lectio earum extiterit. Docuistis enim, conventum nuper esse a vobis habitum ut fraternae caritatis nexu coniuncti deliberaretis, collatis consiliis, de quaestionibus, quae cleri et populi dioecesium vestrarum communiter intersunt, idque a vobis ideo praesertim actum esse, ut Nostris satisfieret optatis quae alias

significavimus. Equidem ominamur vobis adprecamurque ex animo, ut quae sunt a vobis constituta, quum ad levamen curarum communium, tum ad utilitatem et salutem proficiant dioecesium, quibus praeestis; ac debitas pro exhibito officio gratias agentes, tibi aliisque praedictis Venerabilibus Fratribus, nec non clero et fidelibus concreditis vigilantiae vestrae, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Aprilis MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO
CAROLO PRINCIPI DE LOEWENSTEIN

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOBILIS VIR
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Agnovimus libenter ex litteris tuis, pridie Idus Apriles datis, te moliri iamque ex parte parasse opus eximium, illorum simile, quibus maiorum aetas studium, quo flagrabant, rei catholicae amplificandae posteritatis memoriae commendavit. Docebas enim, velle te denuo excitare vetus Eibingense monasterium a Sancta Hildegarde conditum; virgines, primas futuras illius incolas, in promptu esse ex ipsa nobili familia tua; optimis hisce consiliis assentiri ac favere Venerabilem Fratrem Carolum Episcopum Limburgensem; omnia spem bonam portendere rei gerendae feliciter. Ut vero hoc opus non modo pietatis tuae monumentum sit, sed et addictissimae Nobis voluntatis, petebas ut tibi illud liceat dicare Nobis, Nosque illud ita velimus in patrocinium tutelamque Nostram recipere ut directe, ac velut dici solet *sine medio,* Nobis ac

Successoribus Nostris subiectum sit, servatis Ordinario iuribus, quae in huiusmodi monasteria ei leges ecclesiasticae tribuunt. — Iamvero non modo piis optatis tuis annuimus ultro, sed ita commendamus consilium tuum, ut maiore laude nequeamus efferre. Plurimi enim arbitramur interesse ad bonum et decus christiani nominis ut palam haec prodeant munifica pietatis exempla, quae cum omnium in se convertant oculos, quamplures ad paria vel similia gerenda studio sanctae aemulationis alliciant. — Interim Deum rogantes, ut qui tibi nobilis incepti suasor fuit, efficax ipse sit ad rem perficiendam adiutor, Apostolicam benedictionem, divini huiusce favoris auspicem, tibi tuisque peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Aprilis MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
EMMANVELI EPISCOPO CONIMBRICENSI
CONIMBRICAM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Satis novisti probari Nobis vehementer curam, quam geris, ut impense colantur in tua dioecesi philosophicae disciplinae, iuxta rationem ac methodum divi Thomae explicatae. Hinc facile intelligis, quo animo exceptum a Nobis sit novum eiusdem studii tui testimonium, quod litterae a te, die III Aprilis datae, Nobis praebuere. Namque dum merita exornas laude ac diligenter Nobis commendas opus a dilecto filio Iacobo Sinibaldi conscriptum de elementis philosophiae, praeclare ostendis studium quo fereris ad eas disciplinas provehendas, quantique facias eorum industriam qui illas novis illustrant luminibus, operamque navant ut pronis alumnorum auribus animisque excipiantur. Quod quidem laboris genus opportunum ac frugiferum semper rati sumus ac palam ediximus ab ipsis Nostri

Pontificatus exordiis. Nam quo latius thesauri effundantur sanae doctrinae a summo viro Aquinate traditae, animisque discentium penitius insederint, eo vulgatior ac receptior erit solida scientia rerum maximarum, ac facilior fiet errorum reiectio, qui fidei sinceritatem corrumpunt, ac depravant mores. Quoniam vero dilectus filius, quem diximus, exemplar operis sui dono Nobis obtulit obsequiosis ornatum litteris, pergratum Nobis facies si eidem Nostro nomine significaveris, magnopere Nos esse delectatos quum eius ingenio et doctrina, tum officio Nobis exhibito, quod benevolo gratoque animo prosequimur. Hosce interea fructus eximio eius labori ominamur, ut legentibus quamplurimis salutaris sit, ut debitam pariat auctori suo prudentium virorum existimationem et laudem, eosque, qui pari praestant rerum scientia et ingenio, exemplo proposito, ad imitandum alliciat. Sperantes denique fore ut Deus, ministerio et ope tua aliorumque in Lusitano episcopatu Fratrum, nobilibus hisce studiis alia atque alia det incrementa, tibi ac praedicto libri auctori, ceterisque e clero et populo tuae vigilantiae commisso Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIX Aprilis MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII

EPISTOLA

DILECTO FILIO
DOCTORI FELICI SZLACHTOWSKI
PRAEFECTO VRBIS CRACOVIAE

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae abs te Nobis perscriptae sunt litterae, tuo civiumque tuorum nomine, communis gratulationis testes quod sospites decimum implevimus lustrum ab inito episcopatu, eae tam gratae obtigere Nobis, ut vix quidpiam posset obvenire iucundius. Summa enim ex iis enitebat filialis erga Nos pietas et fides, sollicitudo quam de incolumitate et libertate Nostra geritis, grataque memoria quae vobis insidet ornamentorum, quibus illustris civitatis vestrae contendimus augere decus. Imprimis vero gavisi sumus vos excepisse obsequenter plurimique facere ea documenta, quibus pro temporis necessitate et ratione ministerii Nostri adnisi sumus malis quae premunt quaeque impendent occurrere, communique societatis humanae saluti et prosperitati consulere. Siquidem id non modo ob-

servantiam testatur, qua Sedem hanc Apostolicam colitis, sed et studium, quo parati estis, in iis quae memorata documenta attingunt, tales vos praebere quales Nos cupimus, ac naviter ea peragere quae ad propositos assequendos fines fieri praestarique oportere tradidimus. Vestra itaque studia et officia paterna benevolentia complexi, tibi, dilecte fili, civibus tuis et ceteris e gente vestra fidelibus parem optatis vestris adprecamur caelestium munerum copiam, eorumque auspicem Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Maii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE IMMINVTIONE DIERVM FESTORVM IN REIPVBLICAE AEQVATORIS DITIONE

—

LEO PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Supremam in Ecclesia Dei potestatem gerentes, quandoque eiusdem Ecclesiae leges relaxamus, quum gravis momenti causae id suadeant. Hoc consilio, quum supplicatum Nobis fuerit ab Archiepiscopo Quitensi ut, permanentibus causis, nonnullas facultates de imminuendis festis diebus, deque transferendis ieiuniis in Reipublicae Aequatoris ditione, quas Decessor Noster Pius PP. IX rec. mem. ad praefinitum temporis spatium concessit, Nosque similibus litteris, iisdem adducti circumstantiis, die XVII Novembris anni MDCCCLXXXII datis, in decennium protulimus, modo innovare, sive de integro concedere, de benignitate Nostra velimus; Nos de spirituali Christifidelium bono solliciti, precibus huiusmodi annuendum existimavimus. Quare omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis cen-

suris, sententiis et poenis quovis modo. vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine per praesentes Venerabili Fratri Archiepiscopo Quitensi opportunas et necessarias facultates tribuimus, ut quoties res ita se habeat prout exposita est, atque ipse in Domino expedire iudicaverit, eadem auctoritate Nostra, festorum dierum numerum, qui in Reipublicae Aequatoris ditione cum praecepto adstandi sacrosancto Missae Sacrificio, atque a servilibus operibus abstinendi celebrantur, ad eos tantum reducere possit, qui infra praescripti sunt, nempe ad omnes dies Dominicos, ad quinque festa anniversaria Circumcisionis, Epiphaniae. Ascensionis, Sanctissimi Corporis et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, insuper ad quinque festa Beatae Mariae Virginis Immaculatae, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, nec non Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et celebritatis Sanctorum Omnium; die festo vero S. Iosephi, Beatae Mariae Virginis Sponsi, impleto per Christifideles praecepto audiendi Missam, iis licebit in familiaria et servilia opera incumbere. In ceteris autem festis quibuscumque, sive ab hac Sancta Apostolica Sede praescriptis, sive a Conciliis generalibus, provincialibus et dioecesanis, sive a consuetudine, vel alia qualibet causa designatis, quibus huius indulti Nostri vi festivitas est abroganda, omnes et singulos fideles memoratae ditionis a praecepto audiendi Missam et servilibus operibus haud vacandi idem Vene-

rabilis Frater Archiepiscopus Quitensis pro sua prudentia et arbitrio declarare poterit immunes et prorsus liberos. Quod vero attinet ad ieiunia per annum occurrentia et in dicta Reipublicae Aequatoris ditione servari solita, ea, admotis hac de re precibus obsecundantes, ad omnes et singulas sacri Adventus ferias sextas missa facimus. Ceterum de iis omnibus, quae sacram liturgiam spectant in Ecclesiis custodiendam, in illis qui suppressi sunt, festis diebus, atque in vigiliis eas praecedentibus, eadem vel diligentissime, nulla prorsus facta immutatione, servari praecipimus ac mandamus; ac propterea servitium chori, Missarum celebrationes, aliasque ecclesiasticas functiones, eodem modo rituque peragi volumus, ac si nulla dierum festorum imminutio fuisset concessa. Denique animadvertentes locorum ac temporum rationes, eidem Venerabili Fratri necessarias conferimus facultates, ut eadem auctoritate Nostra Apostolica cum Parochis, aliisque animarum curatoribus in Aequatoria Republica existentibus, dispenset super onere Missarum pro populo festis diebus quibus fideles ab obligatione illas audiendi, huius concessionis indulto, exempti et soluti erunt, adiecta tamen lege, ut iidem Parochi, aliique animarum curatores in Missa, quam praedictis diebus erunt celebraturi, peculiari modo pro suis ovibus orare teneantur. Haec ad decennium tantum concedimus atque indulgemus, volumus et mandamus, non obstantibus fel. rec. Urbani VIII Praedecessoris Nostri constitutione incipiente « Universo » die XIII Septembris anno MDCXXXII edita, aliisque constitutionibus et ordina-

tionibus Apostolicis, nec non eiusdem Aequatoriae Reipublicae etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenoribus, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, aliisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die IX Maii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOACHIMO EPISCOPO FAVENTINO
FAVENTIAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pietate dignum tua, Nobisque vehementer probandum esse censuimus consilium quod a te initum, consentiente Capitulo tuo, fuisse docebas in litteris, quas die XIV Kalendas Maias abs te datas accepimus. Eo namque spectare vidimus consilium vestrum, ut in templo Cathedrali Faventino, sacello extructo ac docenter ornato, dignior paretur sedes reliquiis excipiendis S. Petri Damiani, qui istic edoctus, aetatem raris excultam litteris sapientiae suae luminibus collustravit, et sacro Patrum Cardinalium Romanae Ecclesiae Collegio decori fuit. Nequimus equidem nobile hoc inceptum meritis non honestare laudibus; Nobisque gratissimum accidet si fidelium pietas appellanti tibi certatim ac liberaliter opem praebuerit suam. Nobis certe propositum est, pro ea facultate quae Nobis in hac

rerum asperitate suppetit, aliquid conferre ne laudabili studio tuo et honori doctoris sanctissimi videamur defuisse. Interim Deum adprecantes ut huic molitioni tuae propitius favens laeta det incrementa exitumque felicem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, Capitulo tuo ac reliquo clero et populo tuae vigilantiae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Maii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOANNI BAPTISTAE EPISCOPO PLACENTINO
PLACENTIAM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quo sit erga Nos animo clerus dioecesis, cui praesides, haud obscure Nobis compertum fecit iis obsequii testimoniis, quae per te Nobis exhibuit, quum annum expleremus ab inito episcopatu quinquagesimum. Voluit tamen iteratis Nos demereri officiis per litteras amoris plenas communiter datas, quum dioecesana synodus celebraretur, quibus piae quoque stipis facta est accessio, quam Nobis perferendam curavisti. Profecto haec studia filiorum amantium pares a Nobis postulant benevoli gratique animi sensus, quos non modo corde fovemus, sed etiam optamus per te patefieri. Hisce autem adiungi volumus meritam laudem pro nobili animi proposito quo constituerunt, velut ex acceptis litteris agnovimus, decertare iunctis viribus pro domo Dei Israel, atque animarum saluti summa

ope prospicere. Quum id sacrum eorum ministerium, id temporis necessitas flagitet, non possumus hoc non omni commendatione censere dignissimum. Proinde a Deo petimus, ut eorum confirmet augeatque vires, largeque suam illis praebeat opem, ut ex labore exantlato pares studiis suis percipiant salutis fructus. Huius interea divinae benignitatis auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, praedicto clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Maii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS ILLVSTRIBVS VIRIS
I. CHAPPEX PRAESIDI EIQVE ADSIDENTIBVS
IN CONSILIO STATVS REIPVBLICAE VALLESIAE
SEDVNVM

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII ILLVSTRES VIRI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In iis obsequii et amoris sensibus, quos explicatos vidimus litteris vestris Maio mense ineunte datis, novum perspeximus argumentum illustre praestantis studii erga catholicam religionem et hanc Apostolicam Sedem, quod integrum perpetuo asservatum in civitate vestra mira retinetis constantia et fide. Nec sane aliunde quam ex intimo cordis affectu manare poterant gratulationis voces, quibus prosequuti estis reversum quinquagies episcopatus Nostri natalem diem, fervida quae pro Nostra incolumitate fudistis vota, studiosa recordatio eorum, quae nostis gesta a Nobis in commune bonum pro ministerii Nostri ratione, atque iterata professio summae observantiae et fidei erga Romanos Antistites, quam vobis suo testatam

sanguine vestri tradidere maiores. Haec apte vestris expressa litteris, quum vobis eximiae laudi sint, tum Nobis iucundum attulere solatium; ideo plurimas pro vestris officiis gratias vobis habemus et agimus, enixeque vos hortamur, ut cum ceteris civibus vestris sedulo incumbatis in eam rationem qua hactenus usi estis, ut nihil avita fide et solido religionis studio habeatis antiquius. — Deum porro adprecantes ut quaecumque felicia, prospera et salutaria sunt cumulate largiatur civitati vestrae, Apostolicam benedictionem, paternae caritatis testem, vobis, dilecti filii, illustres viri, vestrisque civibus universis et singulis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Maii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ALEXANDRO TIT. S. MARIAE A VICTORIA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI TASCHEREAV
ARCHIEPISCOPO QVEBECENSI
QVEBECVM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae Nobis alias spectata fuerat devota voluntas et fides Lavalensis Athenaei, cui praesides, novo ac praeclaro se prodidit indicio per obsequiosas litteras, quibus gratulationem ostendit suam, quum annum expleremus ab inito episcopatu quinquagesimum. In iis autem perlegendis dileximus magnopere prudentiam vestram, qua vim perpenditis documentorum, quae ex puris hausta fontibus catholicae doctrinae, et tradita ab hac Apostolica Sede, tutum, ubi serventur, praebent salutis praesidium inter hos fluctus, quibus conflictatur humana societas. Neque vero minus Nos delectavit flagrans, quod praefertis, studium ut ea quae Nobis penitus cordi est recta iuventutis institutio

late vigeat et laetam efferat copiam fructuum optimorum. Hoc studium, quum vehementer per se probamus, tum plurimi facimus in iis, qui docendis alumnis praesunt; declarat enim nihil ab iis missum fieri ut naviter ac perfecte creditum obeant munus. Itaque officia a te et illis exhibita summa cum benevolentia complectimur, Deumque adprecamur, ut magnum istud gymnasium rebus utatur secundis et egregia laude floreat non modo christianae sapientiae, sed etiam nobilium omnium disciplinarum, quibus illa facem praefert et amicum praebet auxilium. Atque huius divinae benignitatis auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, praedictique Athenaei moderatoribus, praeceptoribus et alumnis, nec non clero et fidelibus reliquis tuae vigilantiae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Maii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

DECRETVM

SACRAE CONGREGATIONIS CONCILII DE QVIBVSDAM CONVELLENDIS ABVSIBVS MISSARVM CELEBRATIONEM SPECTANTIBVS

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus Missarum celebrationem spectantibus iugiter incubuit haec Sacra Congregatio, pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem ad amussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda, Missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque, inter alia, sequentibus dubiis:

« I. an turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda « et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda « sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum « agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et prae- « miis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas « colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas com-

« mittunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces re-
« pendunt:

« II. an haec agendi ratio ideo cohonestari valeat,
« vel quia, nulla facta imminutione, tot Missae a memo-
« ratis collectoribus celebrandae committuntur, quot col-
« lectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pau-
« peribus sacerdotibus, eleemosynis Missarum carentibus,
« subvenitur:

« III. an huiusmodi eleemosynarum collectiones et
« erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut
« supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mer-
« cium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in
« proprium colligentium commodum, sed in piarum in-
« stitutionum et bonorum operum usum vel incrementum
« impenditur:

« IV. an turpi mercimonio concurrant, ideoque im-
« probandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui
« acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum
« tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum colle-
« ctoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab
« iisdem praemii nomine:

« V. an turpi mercimonio concurrant, ideoque impro-
« bandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis biblio-
« polis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis
« libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive
« integro:

« VI. an liceat Episcopis sine speciali Sanctae Sedis ve-
« nia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus

« Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum « decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea « propriis reditibus careant »:

In peculiari conventu anni 1874 S. C. resolvit:

« Ad I. Affirmative.

« Ad II. Negative.

« Ad III. IV. et V. Affirmative.

« Ad VI. Negative, nisi de consensu oblatorum ».

Sed quum postremis hisce annis constiterit, salutares huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat, in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis Sanctae Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos: laici demum excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus maior Missarum numerus congeritur quam iusta necessitas exigit, ideo iidem Emi

Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII et Innocentio XII in constitutione *Cum saepe contingat,* alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni Missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas Missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, quos eis indigere noverint: alias deinde aut Sanctae Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione maiores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus, quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis, quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, Sacra Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae iurisdictioni subiectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab huius decreti observantia se excusare quomodolibet possit: et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SS̃mo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Eminentissimorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit: contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, die 25 Maii 1893.

ALOISIVS CARD. Ep. Sabin. *Praefectus*

L. SALVATI *Secretarius.*

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT. S. MARIAE TRANSTIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Clara saepenumero edidimus argumenta tum sollicitudinis, qua tenemur erga fideles sacrorumque Antistites foederatarum Americae septentrionalis civitatum, tum singularis benevolentiae, qua partem istam Dominici gregis complectimur. Ad haec illud accessit haud sane obscurum animi Nostri testimonium, quod ad vos miserimus Delegatum Nostrum Venerabilem Fratrem Franciscum Archiepiscopum tit. Naupactensem, virum egregium, doctrina non minus quam virtute praestantem; prout vos ipsi, in proximo Archiepiscoporum conventu Neo-Eboraci habito, palam testati estis, ita confirmantes fiduciam, quae in prudentia eius a Nobis fuerat collocata. Ipsius autem legatio eo valuit primum ut publicum a Nobis extaret testi-

monium et propensae voluntatis erga patriam vestram et magnae existimationis erga eos qui istic reipublicae cum potestate praesunt: nomine enim Nostro adfuturus ille erat in dedicatione amplissimae copiae excellentium omne genus rerum in urbe Chicago expositae, cuius et Nos participes extitimus, a praesidibus iisdem comiter invitati. At eiusdem vero legationis hoc praeterea fuit propositum ut perpetua fieret quodammodo Nostra apud vos praesentia, Delegatione Apostolica permanente Washingtonii constituta. Quo facto luculenter declaravimus non modo nationem vestram perinde a Nobis diligi atque alias maxime florentes, ad quas viros cum auctoritate legare consuevimus, sed etiam a Nobis vehementer optari ut vestrum istorumque fidelium mutuae ad Nos coniunctionis vincula, tamquam filiorum ad patrem, arctiora in dies consistant. Nec leve quidem cepimus ex eo solatium quod novum hoc Nostrae erga vos providentiae iudicium communis istic secuta sit gratiae in Nos studiique significatio.

Iamvero pro paterna in vos sollicitudine Nostra hoc in mandatis praecipue dedimus ipsi Archiepiscopo Naupactensi, ut omnem conferret operam et fraternae caritatis industriam ad omnia evellenda dissidii germina in controversiis nimis cognitis de recta catholicae iuventutis institutione; cui dissidio per id tempus addebant faces vulgata quaedam doctrinae capita et sententiae de quibus concitata erat ultro citroque disputatio. Mandatis hisce Nostris omnino paruit idem Venerabilis Frater, ac

novembri mense superioris anni Neo-Eboracum perrexit, quo tecum, dilecte Fili Noster, ceteri convenerant regionis istius Archiepiscopi, desiderio Nostro obsecuti, quod erat a Nobis per Sacram Congregationem de Propaganda Fide significatum, ut, consultis antea Suffraganeis suis, consilia conferrent ac deliberarent de optima ratione prospiciendi pueris fidèlibus, qui pro scholis catholicis gymnasia celebrent publica. Quae sapienter a vobis in eo conventu decreta sunt placuere eidem Archiepiscopo Naupactensi, qui, collaudata pro merito prudentia vestra, censuit optimas ex iis scitis utilitates esse manaturas. Quod Nos iudicium perlibenti animo confirmamus et iustas tibi ceterisque Praesulibus, tecum congressis, laudes tribuimus, quod opportune consilio et expectationi Nostrae responderitis. Eo autem tempore idem Venerabilis Frater quum vellet, ut Nobis in optatis erat, quaestiones praecidere de recta iuventutis institutione, de qua, iam diximus, incensis animis acrique partium studio, editis etiam scriptis, certabatur, propositiones quasdam vobis exhibuit ab se concinnatas, duplicem attingentes ordinem, quo scientia veritatis et actio vitae continetur. Quarum vim et pondus propositionum quum graviter perpendisset Archiepiscoporum coetus, et quasdam in eis declarationes emendationesque petiisset, utrumque Naupactensis Antistes alacer praestitit. Quo facto spectabilis idem coetus finem fecit sessionum, aperiens grati animi sensus profitensque probari sibi eam agendi rationem, qua ille partibus singularis muneris a Nobis crediti erat perfunctus. Explo-

rata haec omnia habuimus ex eiusdem actis conventus, quae deferenda Nobis curavistis.

Verum enimvero eae ipsae Delegati Nostri propositiones quum in vulgus importune editae essent, continuo inflammatis animis novae excitae sunt controversiae, quae tum falsis interpretationibus, tum insimulationibus malignis per ephemerides diffusis, latius graviusque exarserunt. Tunc quidam sacrorum Antistites regionis vestrae, sive quod interpretationem aegre ferrent quibus nonnullae ex iis propositionibus explicabantur, sive quod consectaria metuerent, quae inde ex ipsorum sententia ad animarum perniciem deduci possent, confidenter causam Nobis aperuerunt anxietatis suae. Nos autem memores animarum salutem supremam esse legem, quam Nos imprimis spectare oportet, simulque optantes novum vobis offerre pignus sollicitae caritatis Nostrae, unumquemque voluimus vestrum, datis privatis litteris, suum ea de re iudicium liberrime Nobis patefacere: quod singillatim a vobis actum est diligenter.

Hisce Nos expensis litteris, facile comperimus, quosdam ex vobis nihil omnino in eis ipsis propositionibus deprehendisse quod timoris causam afferret; quibusdam vero videri per eas propositiones ex parte abrogatam legis disciplinam scholasticae, quam Synodi Baltimorenses sanxerunt, adeoque iniectum sibi esse metum ne diversa illarum interpretatio tristia foret paritura dissidia, unde scholae catholicae caperent detrimenta.

Rem Nobis graviter ponderantibus, profecto persuasum

est huiusmodi interpretationes alienas prorsus esse a mente Delegati Nostri, ut nimirum a sententia procul absunt huius Apostolicae Sedis. Sane praecipuae ab eo allatae propositiones e decretis haustae sunt Concilii Baltimorensis III, statuuntque imprimis provehendas esse studiosissime scholas catholicas, iudicioque et conscientiae Ordinarii permittendum, qui pro re nata decernat quando fas nefasve sit scholas publicas adire. Iamvero si quovis in sermone sic accipienda sunt ea quae fuerint enuntiata posterius, ut iis congruant, non adversentur, quae antea sint dicta, plane dedecet nec aequum est ita secunda explicari ut a prioribus discrepent. Idque eo vel magis valere debet quod scribentis mens nullo modo lateret obscura. Siquidem quum propositiones ille proferret suas in spectabili coetu Neo-Eboracensi, testatus est diserte, quod quidem patet ex actis, admirari sese pastorale studium Episcoporum Americae septentrionalis propter decreta plena sapientiae, quae in tertia Synodo Baltimorensi, ad incrementa causae de catholica iuventutis institutione, fuerant promulgata. Adiecit porro, ea decreta, prout generalem tradunt agendi normam, *fideliter* esse servanda: ac licet publica gymnasia penitus improbanda non sint, possunt enim casus incidere, ut Synodus ipsa perspexerat, quibus ea liceat celebrare, omni tamen ratione et ope connitendum esse ut scholae catholicae quamplures sint numero omnique re ornatae ac perfectae.

Ceterum ne qua subsit in posterum ambigendi ratio vel opinionum dissensio in tanta rei gravitate, quemadmo-

dum iam declaravimus in litteris Nostris, die XXIII Maii anno superiore datis ad Venerabiles Fratres Archiepiscopum et Episcopos provinciae ecclesiasticae Neo-Eboracensis, sic iterum declaramus, quatenus opus sit, constanter servanda esse decreta quae, praemonente Apostolica Sede, in Synodis Baltimorensibus super scholis paroecialibus statuta sunt, et quaecumque alia a romanis Pontificibus sive directe sive per Sacras Congregationes praescripta sunt in eadem causa. Ex quo certa nitimur spe, quam vestra erga Nos et Apostolicam Sedem studia maxime fovent, nihil obfuturum, quominus, sublata quavis vel causa erroris vel anxietate, operam daturi sitis, coniunctissimis in caritate perfecta animis, ut in ista, quae latissime patet, terrarum orbis parte magis magisque regnum Dei propagetur. Dum autem naviter incumbitis ad curandam Dei gloriam et creditarum vobis animarum salutem, iidem contendite vestris prodesse civibus addictamque patriae voluntatem probare, ut facile intelligant qui rem publicam administrant quam validum suppetat in catholica Ecclesia praesidium ad tuendum civitatis ordinem et populi prosperitatem augendam.

Quod vero ad te nominatim attinet, dilecte fili Noster, pro certo habemus te studiose curaturum, ut quos tecum communicare animi sensus censuimus, ii ceteris pariter innotescant Venerabilibus Fratribus qui in civitatibus istis sunt foederatis, simulque adnisurum pro viribus, ut sedata ac penitus dirempta, prout optatissimum est, controversiâ, animi, quos ea concitaverat, in mutua

benevolentia conquiescant. Testem interea dilectionis Nostrae Apostolicam benedictionem tibi, eisdem Venerabilibus Fratribus, clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Maii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE XII IVNII MDCCCXCIII
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBVS VATICANIS

VENERABILES FRATRES

Apostolorum Principum gloriosa martyrio sollemnia quum romani Pontifices in Vaticana basilica celebrabant, hoc fuit veteri consuetudine institutoque receptum, ut ipsi, et ante sacrarum religionum officia et iis peractis, certa quaedam Apostolicae Sedis iura pro potestate assererent et vindicarent. Qua in re praestanda utrumque etiam Pontifex declarabat, *tempus et tempora non decurrere in detrimentum iurium Sedis Apostolicae, atque nihil se in beatorum Apostolorum Petri et Pauli patrimonio asserendo et vindicando... ad extremum usque spiritum praetermissurum.* — Iamvero Nobis, post acceptam proximis hisce mensibus effusam gratulantium filiorum salutationem impertitaque eis documenta virtutis, peropportunum visum est, sacris eisdem sollemnibus propediem redeuntibus, similem quamdam ac Decessores expostulationem, eamque multo quidem gravissimam, ad rationes tuendas Aposto-

licae Sedis veramque romani Pontificis libertatem vindicandam, in hoc amplissimo consessu vestro, hodierna die, proferre. Itaque, aliâ nulla permoti causa, nisi iureiurandi religione, iustitiae custodiâ, Ecclesiae caritate, vos rursus, Venerabiles Fratres, omni animi constantia testamur, velle Nos, nec sane non id velle ullo pacto possumus, velle igitur et contendere ut iura beati Petri, quaecumque sunt Nobis concredita, omnino salva permaneant, firma, integra, quemadmodum decursu aetatum constituit Deus providentissime. Fateantur profecto oportet qui recte intelligant, per ea iura et bona fuisse a Deo tum paratum Ecclesiae praesidium dignitatis libertatisque suae in gentium procuranda salute, tum ipsis gentibus additam certiorem tutelam in sua cum summo pastore habenda officiorum vicissitudine: emolumenta praeterea publicae inter nationes pacis civilisque cultus proficisci inde uberiora. — Cuius divini consilii excelsa ratio nusquam apparuit illustrius quam in hac Urbe, quae sedes est princeps religionis catholicae: in qua nempe quoties beati Petri iura nefario sunt ausu violata, toties pernicies rerum consecuta est multis modis miserabilium. Remotiora dimittimus, propterea quod nimis clamant praesentia quantam in labem calamitatemque sacerrima eius maiestas sit deturbata. Errorum in maximis rebus impunitas, libidinum flagitiosa licentia, praepotens improbissimarum dominatio sectarum, quotidiana in personas resque augustas petulantia, plurimae callidaeque artes ut a fide et reverentia Ecclesiae succrescens iuventus deficiat: talia multa,

ut iustam bonis omnibus indignantis aegritudinis afferunt causam, sic eo convincunt apertius quanti sit. caelestibus de hac sacra Urbe praescriptis per nequitiam et vim esse repugnatum. — Nos equidem super hoc rerum statu vehementer solliciti, et de obfirmata contra Apostolicam Sedem iniuria conqueri, ut oportet, perseverantes, si quidquam rationibus Ecclesiae atque Urbis beati Petri prodesse adhuc studuimus, nihilo minus studere in posterum, dum vita suppetat, magnopere contendemus, freti Deo, cuius praesenti ope ac solatio admirabiliter sustentamur; quem eumdem vindicem Ecclesiae suae enixa prece obsecramus.

Nunc vero iucundum et laetabile est, Venerabiles Fratres, utilitatibus christiani populi, novis episcopis designandis, consulere; itemque supplere perhonorificum Collegium vestrum, ex quo brevi temporis intervallo desiderati non pauci sunt, ad mansura virtutis praemia evocati. In hoc igitur viros quinque cooptare decrevimus, ex ordine episcopali delectos, qui vel pastorali prudentia et alacritate, vel consilii doctrinaeque fructibus egregiam operam navarunt Ecclesiae. Hi autem sunt:

VICTOR LVCIANVS LÉCOT, Archiepiscopus Burdigalensis:

IOSEPHVS MARIA GRANNIELLO, Archiepiscopus Titularis Caesariensis, Sacri Consilii Episcoporum et Regularium Secretarius:

IOSEPHVS CHRISTIANVS BOVRRET, Episcopus Ruthenensis:

Lavrentivs Schlavch, Episcopus Magno-Varadinensis:

Iosephvs Sarto, Episcopus Mantuanus.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Victorem Lvcianvm Lécot
Iosephvm Mariam Granniello
Iosephvm Christianvm Bovrret
Lavrentivm Schlavch
Iosephvm Sarto

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis. In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS SEDES EPISCOPALIS DVBVQVENSIS
AD DIGNITATEM SEDIS ARCHIEPISCOPALIS EVEHITVR

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices in Beati Petri Cathedra divinitus collocati, tamquam e sublimi specula in omnes dominici gregis partes oculos intendunt, et quae potissimum longinquis in regionibus rei sacrae procurationi melius gerendae facere possunt, ea sedulo alacrique studio exequi satagunt. Iam vero provincia ecclesiastica S. Ludovici in statibus Americae septentrionalis foederatis, quinque amplissimos status complectitur, nempe Missouri, Kansas, Jowa, Nebraska et Wyoming, cum undecim dioecesibus, scilicet S. Ludovici, Kansanopolitana, S. Iosephi, Leavenworthiensi, Witchetensi, Concordiensi, Dubuquensi, Davenportensi, Omahensi, Lincolniensi et Cheyennensi. Hanc nimiam provinciae extensionem prae oculis habentes, Venerabiles Fratres Episcopi Provinciales, in conventu habito penes Venerabilem Fratrem S. Ludovici Archiepiscopum, die decimaquinta Decembris elapsi anni, enixe

a Nobis expostularunt ut Sedem Episcopalem Dubuquensem ad dignitatem sedis Archiepiscopalis evehere ac novae huic Archiepiscopali sedi, Episcopales sedes Davenportensem, Omahensem, Lincolniensem et Cheyennensem, uti suffraganeas adsignare dignaremur. Nos autem prius suffragio VV. FF. Archiepiscoporum Statuum Americae Septentrionalis foederatorum accepto, et omnibus rei momentis accurate perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, prae oculis habito maiori in Statibus, de quibus agitur, catholicae religionis bono, precibus huiusmodi annuendum propensa voluntate existimavimus. Quare, motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, Provinciam ecclesiasticam S. Ludovici dividimus, sive dismembramus; sedem Episcopalem Dubuquensem in Archiepiscopalem, cum omnibus huiusce dignitatis propriis iuribus, privilegiis, praeeminentiisque erigimus; novae denique provinciae sedes Davenportensem, Omahensem, Lincolniensem et Cheyennensem, uti suffraganeas adsignamus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito

non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XV Iunii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

S. CARD. VANNVTELLI

EPISTOLA

DILECTO FILIO

VINCENTIO SARDI PRESBYTERO

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tuam vel pietatem in Nos vel in litteris facultatem probe confirmavit liber, quem a te non ita pridem dedicatum accepimus, arte et cultu nitentem. Tu nimirum sollemnia haec Nostra ornare studuisti latinitatis floribus, qui magnae praestantiae sunt Nobisque gratissimi; atque eos curae fuit colligere in fastorum genere, grandi simul et presso, quod est laboriosius. Fecisti autem exquisitiore pietate, qui scribendi materiam ex rebus ipsis petieris Nostris, in iisque enuntiandis omnem cum dignitate sollertiam et fidem impenderis. — Iucundum sane, orationis latinae laudem, minus benigna aetate, haudquaquam in hominibus sacri ordinis exarescere: cuius quidem laudis ut fautrix optima extitit semper Ecclesia, ita ex illa praeclaras semper utilitates iure suo expectat. — Tu vero, dilecte fili, ex commendatione ac benevolentia Nostra animos sume viresque

ad huiuscemodi studia impensius colenda; nec enim fugit prudentiam tuam quantum assiduitatis et operae ad perfectionem exposcant. Idque laboranti tibi profecto eveniet, Apostolicae ope benedictionis, qua te peramanter in Domino muneramur.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Iunii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
CAROLO MONARCHI PRAESIDI
SOCIISQVE COETVS IVVENTVTIS CATHOLICAE
VITERBIVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Res commemorastis gratissimas, in quibus vos merito collaudemus. Quo enim proposito iste apud vos coetus, egregio iuvene patricio excitante, in primis eius generis coaluerit, et quam inflammato studio, per lustra iam quinque, in idem institerit, praeclarum est, utile ad recolendum. Ex hoc autem ipso spes Nobis pulcherrima in futurum praelucet: multoque arridet certior, ex iis quae modo, quasi novum inituri spatium, professi ampliter estis, scilicet magisterium, ductum, consilia Nostra pervelle vos summa, ut antehac, reverentia summaque contentione sequi et perficere. — Macti virtute este, dilecti filii, vexillo elato. Ita vos omnino volumus ut in praescriptis, *precando, agendo, patiendo,* pro religione perstetis; quod optime erit utiliter-

que, non vobis tantum, sed eo amplius civitati; nam civitas vere floret honore incolumi religionis. Qua in re Rosae Virginis, magnanimae civis vestrae, illustre exemplum apte a vobis est revocatum. Eadem igitur patrona et conciliatrice divinae gratiae, cuncta fluant coetui vestro secunda: Nosmet vota et praesidia coniungimus per Apostolicam benedictionem, quam singulis vobis eidemque coetui paterna caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Iunii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
ALFONSO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI
ARCHIEPISCOPO CAPVANO

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod proxime in lucem editurus es compositam abs te vitam sancti Alfonsi Mariae De Liguori, Nobis quidem gratum est: novumque lucubrationum tuarum fructum valde exspectamus. Materiem sumpsisti insignem: nec dubitamus quin digne tractaveris; novimus enim ingenium tuum, novimus animum. Et animi quidem et ingenii virtutem coniuncte censemus ei necessariam, qui tradere posteritati beatum Alfonsum instituat: nec enim sine subtilitate ingenii tanta virtus describi, nec sine intimo pietatis sensu intelligi penitus potest. Te vero neutrius expertem laudis satis testantur scripta tua singula, nominatim Vita Caterinae V. Senensis, item Philippi Nerii: quorum virtutes, formamque ac figuram animi affabre expressisti, coniuncto rerum delectu cum tuo illo nitore germanaque venustate

scribendi. Quare implebis certe exspectationem Nostram, virisque eruditis, quorum opinione maxime flores, plane satisfacies. — Ceterum, cum tantum scribendo valeas, perge scribere, perge mereri de litteris simul et moribus, ut soles. Caelestium munerum auspicem paternaeque Nostrae benevolentiae testem tibi, dilecte fili Noster, et Clero populoque tuo Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Iunii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
NASR ED-DIN PERSIDIS IMPERATORI

—

LEO PP. XIII.

SERENISSIME ET POTENTISSIME IMPERATOR
SALVTEM

Quamquam alias experti sumus comitatem eximiam Maiestatis tuae, nequivimus tamen non affici iucundissime perlectis litteris humanissimis, quibus significasti Nobis gratulationem tuam, quod annum feliciter implevimus ab inito episcopatu quinquagesimum. Haec autem studia et officia Maiestatis Tuae eo gratiora Nobis obvenerunt, quod plurimi faciamus animi ornamenta quibus excellis, quod Te cupidum videamus ut arctiores in dies fiant mutuae inter Nos amicitiae nexus, quodque probe noverimus Te non modo summa aequitate uti erga catholicos potenti subiectos ditioni tuae, sed ultro omnem illis benevolentiam praestare. Quare et pro exhibito officio plurimas Maiestati Tuae gratias habemus et agimus, et complexi libenter omina, quibus incolumitatem Nobis adprecaris diuturnam, pari animi affectu Te perdiu sospitem esse exo-

ptamus in bonum quoque eorum, qui amplissimi imperii tui finibus continentur. — Interim a Deo optimo maximo petimus, ut Maiestatem Domumque tuam rebus secundissimis uti velit, omnique solida prosperitate fortunet.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Iunii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

REGIAE CELSITVDINI
FRIDERICO GVILLELMO
MAGNO DVCI BADENSI

LEO PP. XIII.

CELSISSIME PRINCEPS
SALVTEM

Pertulit Nobis librorum copiam a Te dono missam vir illustris Guillelmus Brambach, Regiae Celsitudinis tuae Consiliarius Aulicus, et Bibliothecae praefectus, qui verba humanissima tuo nomine adiecit, quibus eximia tua erga Nos voluntas fieret exploratior. Quo gratius autem hoc munus Nobis accideret, contulere potissimum quum excelsa Tua mittentis dignitas et iusta existimatio qua Te prosequimur, tum genus ipsum et copia rerum donatarum. Nulla est enim utut pretiosa supellex, nullus instructus qui illis praestabilior censeri possit, quippe earum usu non corpus ornatur sed animus, et perutilia ex iis suppetunt scientiae acquirendae augendaeve instrumenta et praesidia. Quare Tibi dubitandum non est, quin hoc officium egregiae comitatis tuae eâ, quae par erat, benevolentia

complexi simus, gratissimo prosequamur animo, ac memori mente retenturi simus. — Interim a Deo optimo maximo exposcimus, ut Regiam Celsitudinem Domumque Tuam lectissimis benignitatis suae muneribus cumulet et perfecta Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Iunii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE COLLEGIIS CLERICORVM
IN INDIIS ORIENTALIBVS INSTITVENDIS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad extremas Orientis oras, Lusitanorum felicitate virtuteque exploratas, quo tam multi quotidie aspirant ad opulenta commercia, Nos quidem, rerum longe maiorum spe proposita, iam inde ab exordio pontificatus mentem et cogitationem appulimus. — Obversantur animo caritatemque in Nobis vehementer excitant immensa illa *Indiarum* spatia, in quibus, tot iam saecula, evangelicorum virorum desudat labor. In primisque beati Thomae Apostoli venit in mentem, qui promulgati ad Indos Evangelii iure fertur auctor: itemque Francisci Xaverii, qui longo intervallo in eamdem laudem acriter incubuit, constantia et caritate incredibili assecutus ut centena Indorum millia ad sanam religionem et fidem a Brachmanarum fabulis atque impura superstitione traduceret. Sanctissimum virum complures ex utroque ordine Cleri, auctoritate missuque Sedis

Apostolicae. postea subsecuti, christiana sacra et instituta, quae Thomas intulit, quae Xaverius instauravit, tueri ac provehere diligenter conati sunt, hodieque conantur. Nihilominus tam vasto terrarum tractu quanta vis mortalium adhuc abest a vero, miserae superstitionis circumiecta tenebris! quantus, nominatim ad septentriones, ager ad accipiendum Evangelii semen, nondum ratione ulla subactus!

Ista reputantes animo, plurimum quidem benignitate misericordiaque confidimus Salvatoris nostri Dei, qui opportunitates maturitatesque impertiendi luminis sui unus novit, quique hominum mentes ad rectum salutis iter occulto aurae caelestis afflatu solet impellere: at vero, quoad in Nobis est, dare operam volumus et debemus ut tanta pars orbis aliquem vigiliarum Nostrarum sentiat fructum. — Hoc proposito, quum intentum animum haberemus si qua ratione rem christianam in Indiis Orientalibus ordinare aptius atque augere fas esset, nonnulla felici exitu constituimus, incolumitati catholici nominis profutura. Primum sane de patronatu Lusitanae gentis in Indiis Orientalibus regundo, cum fidelissimo Portugalliae et Algarbiorum rege, data acceptâque fide, rite pacti sumus. Eoque facto dissidia illa profecto non levia, quae tam diu christianorum distraxerant animos, sublatis contentionum caussis, quievere. Maturum praeterea ac salubre iudicavimus, ex singulis christianorum communitatibus, quae Vicariis Praefectisve apostolicis antea paruerant, Dioeceses veri nominis conflari, quae suos haberent Episcopos,

ac iure ordinario administrarentur. Propterea, per Litteras apostolicas *Humanae salutis*, die I Septembris an. MDCCCLXXXVI datas, nova in illis regionibus Hierarchia constituta est, quae octo ecclesiasticis provinciis continetur, scilicet Goana, titulo patriarchali ad honorem aucta, Agraensi, Bombayensi, Verapolitana, Calcuttensi, Madraspatana, Pondicheriana, Columbensi. Denique quidquid illic frugiferum saluti fore, quidquid expedire ad incrementa pietatis et fidei intelligamus, efficere per sacrum Consilium Nostrum christiano nomini propagando constanter studemus.

Sed tamen res est una reliqua, unde Indiarum salus magnopere pendet; ad quam rem vos, Venerabiles Fratres, et quotquot humanitatem diligunt nomenque christianum, volumus maiorem in modum attendere. Scilicet fidei catholicae apud Indos intuta incolumitas est et incerta propagatio tamdiu futura, quoad Clerus desiderabitur lectus ex *indigenis* ad munera sacerdotalia probe institutis, qui non solum adiumento esse sacerdotibus peregrinis, sed ipsimet in civitatibus suis rem christianam administrare recte queant. Proditum est memoriae, hanc ipsam insedisse sententiam Francisco Xaverio, quem negare aiunt solitum, rem christianam constare in India posse firmiter, nisi assidue incumbentibus piis strenuisque sacerdotibus Indiâ natis. Eâque ille in re quam acute viderit, facile apparet. Nam apostolicorum virorum operam, qui ex Europa advehuntur, multa praepediunt, maxime vero vernaculi inscientia sermonis, cuius perdifficile est arripere cognitionem; itemque insolentia institutorum

atque morum, quibus ne longo quidem tempore assuescitur: ita ut necesse sit, europaeos Clericos illic ut in alieno loco versari. Quapropter cum aegre se multitudo credat peregrinis, perspicuum est, sacerdotum indigenarum longe futuram fructuosiorem operam. Explorata enim habent studia, ingenium, mores gentis suae: norunt loquendi, norunt tacendi tempora: denique Indi inter Indos sine ulla suspicione versantur: quod vix attinet dicere quanti sit, maxime in rebus trepidis.

Deinde oportet animadvertere, Missionarios peregre advectos multo pauciores esse, quam ut excolendis iis, quae nunc sunt, christianorum communitatibus sufficiant. Id plane eminet ex tabulis Missionum: ex eoque confirmatur quod Missiones Indicae a sacro Consilio christiano nomini propagando alios atque alios Evangelii praecones implorare et flagitare non desinunt. Iamvero si culturae animorum ne in praesens quidem sunt pares sacerdotes externi, quid in posterum, aucto christianorum numero? neque enim spes est fore ut eorum, quos Europa mittit, crescat pro portione copia. Igitur si placet Indorum saluti consulere, nomenque christianum in spem diuturnitatis fundare in illa infinitate regionum, legere ex indigenis opus est, qui muneribus officiisque sacerdotalibus, diligenti praeparatione adhibita, perfungantur.

Tertio loco illud non est praetereundum, quod abest quidem a veri similitudine plurimum, sed tamen fieri aliquando posse nemo negaverit: nimirum talia posse in Europa Asiave incidere tempora, ut vi ac necessitate co-

gantur Indias destituere sacerdotes advenae. Quo facto, si Clerus indigena desit, quî posset religio salva consistere, nullo nec administro sacrorum nec magistro disciplinae? Satis aperte hac de re historia loquitur Sinensium, Iaponiorum, Aethiopum. Scilicet plus semel apud Iáponios, apud Sinenses, incumbentibus nomini christiano odiis cladibusque, inimica vis, necatis vel in exilium actis sacerdotibus externis, pepercit nativis: qui linguam moresque patrios apprime docti, et propinquitatibus amicitiisque subnixi, non modo impune manere in patria, sed rem sacram administrare, et officia quae ad regendos animos pertinent, libere exequi in omnibus provinciis potuerunt. Contra in Aethiopia, ubi iam christiani ad biscentum millia numerabantur, cum Clerus indigena nullus esset, caesis vel pulsis Missionariis europaeis, diuturni laboris fructum subitaria insectationis procella funditus sustulit.

Denique respicienda antiquitas est, quodque olim salubriter institutum videmus, id religiose servandum. Iamvero in apostolici perfunctione muneris, primum quidem imbuere christianis praeceptionibus multitudinem; mox lectos ex popularibus nonnullos initiare sacris, et ad ipsum episcopatum evehere, fuit in more positum institutoque Apostolorum. Quorum postea secuti exemplum romani Pontifices, in mandatis dare apostolicis viris perpetuo consueverunt, ut ubi christianorum communitas satis ampla coaluisset, ibi Clerum ex indigenis deligere omni ope contenderent. Ut igitur incolumitati et propagationi catholici nominis apud Indos consultum sit, Indos insti-

tuere ad sacerdotium oportet, qui videlicet procurare sacra et popularibus suis christianis praeesse, qualiacumque tempora incubuerint, commode possint.

Hac quidem de caussa, Praefecti Missionum Indicarum, consilio hortatuque Sedis Apostolicae, collegia Clericorum, ubicumque facultas fuit, condidere. Immo vero in Synodis Columbensi, Bangalorensi, Allahabadensi, ineunte anno MDCCCLXXXVII habitis, decretum est, ut Dioeceses singulae suum habeant Clericis indigenis instituendis Seminarium: si qui ex Episcopis suffraganeis suum habere inopiâ prohibeatur, in metropolitano Clericos dioecesanos alat suis sumptibus. Ista quidem salubriter decreta efficere Episcopi pro viribus nituntur: sed in eorum egregiam voluntatem transversa incurrit angustia rei familiaris, et penuria sacerdotum idoneorum, qui studiis praesint sapienterque regant disciplinam. Quare vix aut ne vix quidem Seminarium est ullum, in quo institutio alumnorum expleta cumulataque habeatur: idque hoc tempore, cum rerum civilium Gubernatores et Protestantes non exiguo numero nullis parcunt nec impendiis nec laboribus, ut omnis erudiatur subtiliter ac polite iuventus.

Illud igitur perspicitur, quam sit opportunum, quam saluti publicae consentaneum, constituere in Indiis Orientalibus Collegia quaedam, ubi iuvenes incolae in spem Ecclesiae adolescentes erudiantur ad omnem elegantiam doctrinae ad easque virtutes, sine quibus nec sancte nec utiliter exerceri sacra munera queunt. Amotis dissensionum caussis per pacta conventa, ordinataque administra-

tione Dioeceseon per Hierarchiam ecclesiasticam, si licuerit Nobis, quod propositum est, institutioni Clericorum apte consulere, quasi fastigium operi videbimur imposuisse. Nam conditis semel, uti diximus, Clericorum seminariis, certa spes esset, sacerdotes idoneos magna copiâ inde extituros, qui pietatis doctrinaeque lumen late funderent, quique in disseminanda Evangelii veritate praecipuas industriae suae partes scienter insumerent. — In opus tam nobile, idemque infinitae mortalium multitudini saluti futurum, dignum est, aliquam Europaeos conferre operam; praesertim quod pares esse magnitudini sumptuum soli non possumus. Christianorum est homines universos, ubicumque degant, in fratrum habere loco, et alienum a caritate sua putare neminem: idque in iis rebus maxime, in quibus proximorum vertitur sempiterna salus. Quamobrem petimus a vobis magnopere, Venerabiles Fratres, ut consilium et conata Nostra re adiuvare, quantum in vobis est, velitis. Date operam ut in comperto sit rei catholicae in tam remotis regionibus conditio: efficite ut vulgo intelligant, conari aliquid pro Indiis oportere: idque maxime sentiant ii, qui posse beneficentia uti, optimum putant pecuniae fructum.

Munificam populorum vestrorum voluntatem haud frustra Nos imploravisse, certo scimus. Si maior liberalitas fuerit, quam sumptus in Collegia supra dicta necessarii, quidquid erit ex aere collato reliqui in alia utiliter pieque coepta curabimus erogandum.

Caelestium munerum auspicem ac paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero

populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV Iunii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ANTONIO EPISCOPO TIT. THEMYSCIRENSI
VICARIO APOSTOLICO TVNKINI SEPTENTRIONALIS

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Plurimum Nobis voluptatis attulit officiosa epistola, quam cum aliis duobus Venerabilibus Fratribus, Vicariis Apostolicis Tunkini Orientalis et Centralis, ad Nos dedisti, communis gratulationis testem ob impletum feliciter a Nobis episcopatus annum quinquagesimum. Gaudemus memori vos animo asservare ea, quorum recordatio vestra erga Nos studia incendit et fovet, et ingentem quae a Nobis vos removet locorum distantiam haud obesse quominus Nostrae sit vestra voluntas coniunctissima. Dum itaque pro exhibitis officiis meritas vobis agimus gratias, supplices a Deo petimus ut labores vestros apostolicos feraces fructuum optimorum efficiat, vestroque ministerio Ecclesiam suam novis amplificet incrementis. — Divinae interea benignitatis auspicem, Apostolicam benedictionem

vobis, Venerabiles Fratres, clero et fidelibus curationi vestrae demandatis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Iunii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
DIGNITATIBVS ET CANONICIS
METROPOLITANAE ECCLESIAE MEDIOLANENSIS
MEDIOLANVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Recte vos, quanto doletis sacerdotali studio tempora Ecclesiae acerbiora, tanta item prudentia ex eo ipso agnoscitis divinae mentis consilium, quo virtus Ecclesiae, in mundano cursu militantis, admirabiliter augescit illustrior. Huiusmodi quidem in rebus tum sollicitudinis tum solatii causas aequum est atque utile cum episcopo romanae Ecclesiae, matris omnium et magistrae, opportune communicari; id quod vel prisca ecclesiarum consuetudo et instituta maiorum commendant. Cuius praestandi officii occasionem quum nacti sitis ex praesenti faustitate Nostra, pietatem in Nos vestram tam acceptam habuimus et habemus, ut in vobis, gratulationem et vota exhiben-

tibus, insignem Ambrosii ecclesiam peculiari caritatis nomine complectamur. Illa nimirum vincula peculiaris necessitudinis ipsam inter et Apostolicam Sedem, de quibus litterae vestrae intulere mentionem, praeclara admodum sunt, maximeque cupimus permanere eadem eoque arctius in dies adstringi. — At vero certam hanc voluntatem et spem vos in primis alere decet et provehere, dilecti filii: vos, inquimus, quorum Collegio transmissa praecipue est eximia velut hereditas religionis, quam Carolus, antistes sanctissimus, sudore tam multo auctam, ad perpetuam ubertatem reliquit. Qua de re propositi vestri testimonium a vobismetipsis locupletissimum suppetit, quo magnopere delectemur: quantum enim desiderari licebat, vos Nobis *obsequium, fidem, obedientiam, totum animum addictum et effusum* ultro estis religioseque polliciti. Ipsa praeterea animorum Nobiscum plena consensio, a vobis nominatim significata in machinationibus detestandis, quas contra matrimonii christiani sanctitatem secta impia struit, vos omnino confirmat alacres et comparatos ad cetera vel probanda vel improbanda, quaecumque Nobis pro Apostolico munere videantur. — Nihil igitur neque optabilius Nobis, neque isti ecclesiae accidet salutarius, quam si a vobis capiat clerus et formam officii et honestissima incitamenta; atque universi et singuli, in reverentia et in fide venerandi Pastoris vestri, religionem, caritatem, virtutis omnis praestantiam aemulatione colant pulcherrima. Communem sollertiam fructus optimi consequantur, auspicio Apostolicae benedictionis, quam eidem Archiepiscopo

et vobis omnique clero et populo paterna benevolentia largimur.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
MONACHIS ORDINIS BASILIANI
RVTHENAE NATIONIS IN GALLICIA

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae de ordine vestro, decimo exeunte anno ex quo restituendum curavimus, ad Nos retulistis, ea quum spem et desiderium Nostrum egregie expleant, habuimus valde grata. Dolenter enim ferebamus, Basilianam familiam, tam illustrem tamque ampliter de Ruthenorum ecclesia meritam, humanis casibus sic esse debilitatam, ut ab interitu iam non procul abesse videretur. At nunc laetandum maxime est vobisque gratulandum quod vester Ordo faustis sane initiis reviviscat; qui perbrevi spatio sodalium numerum ita auctum sensit, ut sperare sibi liceat veterem et dignitatis gradum et recte factorum laudem posse adipisci. Nos equidem curas de vobis et gessimus et geremus: probe enim novimus quantae ex incrementis vestris utilitates Ruthenorum saluti obvenire possint, pro-

ut non ita pridem eis ipsis coram ediximus. Placent autem gratae voluntatis sensus, quos expromere studuistis de opera laboris plena et caritatis, quam sacerdotes Societatis Iesu in vestra impendunt institutione: unde palam est quanta vos alacritate huius quoque beneficii fructus colligere statueritis. Adsit Deus propitius eorum coeptis vestrisque, et sicut prospera dedit initia, sic reliqua benigne largiatur; atque vota vestra eademque Nostra, de filiis ad amplexum Ecclesiae revocandis, gratiae suae auxiliis secundet et compleat. Nunc caelestium bonorum auspicem et pignus paternae benevolentiae Nostrae, vobis, dilecti filii, omnibus et singulis, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
IACOBO DE BRVYN
HAGAM COMITVM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Illustre argumentum fidei et filialis studii, quo Nos colunt Hollandi fideles, praebuit Nobis obsequiosa epistola, quam nuper abs te accepimus aliisque dilectis filiis, qui in Comitatum, cui praesides, coivere. Ex ea namque agnovimus, quinquagesimo expleto Nostri episcopatus anno, perfectum fuisse nobile inceptum, quod a vobis excogitatum fuerat, favore et ope accedente sacrorum Antistitum, quum rediisset quinquagies sacerdotii Nostri natalis dies. Vestra nimirum cura et liberalitate, collataque stipe a ceteris ex Hollandia catholicis, paratae in urbe istius regni principe aedes sunt commorationi destinatae Internuncii Apostolici, qui penes Regiam Aulam legatione fungatur. Id vero scite non minus quam pie a vobis factum esse intelligimus; voluistis enim eiusmodi munere gratulationem vestram

testari, quod allevaret simul ex parte iacturas, quas Sanctae huic Sedi infensa vis intulit, bonis direptis, aliisque sublatis externae dignitatis et libertatis praesidiis. Neque Nos pia sollertia latuit, qua Nostro nomine compellari voluistis hoc munus, quod ad honorem simul et commodum Romani Pontificatus pertinens, monumentum perenne erit extiturum vestrae erga illum pietatis et observantiae. Ex hisce facile existimare potes, quam benigne haec officia vestra complexi simus, quique sensus sint grati animi Nostri erga omnes, qui in hisce exhibendis partem habuere, maxime erga eos, quorum studia ceteris praestitisse significas. Deum itaque rogantes, ut gratiae suae divitias munifice in vos effundat, quaeque ad solidam felicitatem conferunt vobis cumulate largiatur, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, Comitatui, cui praesides, ceteris qui suam vobis opem contulere, civibusque vestris catholicis omnibus, pro quibus poscitis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS NONNVLLA STATVTA AC DECRETA
AB ABBATIBVS CONGREGATIONVM BENEDICTINORVM ATRATORVM
AD ORDINIS VNIVERSI VTILITATEM PROPOSITA
AVCTORITATE APOSTOLICA PROBANTVR ET CONFIRMANTVR

—

LEO PP. XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Summum semper Nos tenuit studium Ordinis incliti S. Benedicti, qui vitae sanctimonia omnisque humanitatis cultu maximis Ecclesiae et rei publicae temporibus utrique eximio fuit praesidio et ornamento. Quare haud omisimus pro re nata plura huius studii et manantis ex eo sollicitudinis argumenta praebere; certa enim fiducia nitimur praesentes huius Ordinis alumnos, aemulos industriae maiorum suorum in utraque, quam diximus, laude, effecturos ut perinde ille floreat atque ea floruit aetate qua summum attigit solidae gloriae fastigium, *et extendat palmites suos usque ad mare* [1]. Eo spectantibus Nobis, adfuit tempestive operamque contulit adiutricem dilectus Filius Noster Ioseph Benedictus S. R. E. Cardinalis

[1] Psalm. LXXIX, 12.

Dusmet, qui desideriis Nostris religiose obsequutus, nuper, arcessentibus Nobis, ad Urbem venit ut primum deponeret lapidem Collegii S. Anselmi in Aventino monte extruendi, et conventui praeesset Abbatum virorumque delegatorum a variis Benedictinorum, quos atratos vocant, familiis. Cuius conventus indicendi ea ratio fuerat, ut collatis consiliis de iis rebus ageretur quae ad communes pertinerent universi Ordinis rationes et utilitates, praesertim vero ut fraterna fieret consociatio, quasi icto foedere, quae Familias omnes, quibus idem Ordo constat, nexu suavi caritatis mutuae contineret. Quum itaque praedicti Abbates ac delegati, pluries congressi in aedibus ad S. Callisti, de rebus propositis considerate et graviter deliberassent, nonnulla de quibus inter eos convenerat scita et placita conscripsere ad commune commodum Ordinis universi. Haec diligenter retulit Nobis idem dilectus Filius Noster Ioseph Benedictus Cardinalis Dusmet, quum Nos adiisset postridie Kalendas Maias hoc anno, postulans ut ea, si placuissent, a Nobis confirmarentur.

Igitur quaesitâ inspectaque sententia quorumdam S. R. E. Cardinalium, quibus nominatim recognoscendae oblatae scriptionis curam demandavimus, postulationi aequissimae censuimus annuendum, Nostraque auctoritate Apostolica probare et confirmare statuimus scita et placita praedictorum Abbatum et Delegatorum ita conceptis verbis expressa:

« I. Omnes Congregationes Benedictinorum, quos « nigros vocant, veram fraternam Confoederationem ine-

« unt, quae tamen Confoederatio nullam Congregatio-
« nem alteri subiicit.

« Ut autem Confoederatio haec unitatem aliquam
« habeat, firmis manentibus omnium Benedictinorum, quos
« diximus, Congregationibus, earumque Constitutionibus
« vel Declarationibus; propriisque unicuique earum Ar-
« chiabbate, vel Abbate generali, vel Abbate Praeside,
« nec non et Procuratore generali ac Visitatoribus serva-
« tis; item firmis manentibus iuribus atque privilegiis
« uniuscuiusque Monasterii, Abbas Primas omnium Con-
« gregationum creabitur, qui Romae degat pro negotiis
« totius Ordinis bonum directe respicientibus.

« II. Abbas Primas assumatur ex universo corpore
« Congregationum, nullo facto nationum discrimine, nulla-
« que servata earumdem Congregationum distinctione, sed
« sola virtutis, idoneitatis et meritorum contemplatione.

« III. Qui, modo quo praemittitur, Abbas Primas
« constitutus fuerit cum attributis a Sanctissimo Domino
« Nostro ipsi benigne concedendis, erit insimul Abbas
« Collegii S. Anselmi de Urbe cum ordinaria iurisdi-
« ctione, ibique manebit. Ipsum autem Collegium non
« censeatur pertinere alicui ex dictis Congregationibus,
« sed familiam habeat ex omnibus Congregationibus con-
« flatam, quam ipse Primas constituere curabit, audito
« Rectore Collegii. Omnes vero Superiores uniuscuius-
« que Congregationis morem gerant Primati ad forman-
« dam praedictam familiam Collegii, excepto casu spe-
« cialis necessitatis.

« IV. Primatis Congregationum Benedictinarum et
« Abbatis S. Anselmi officium per duodennium duret;
« ideoque duodecimo quoque anno Praesides omnium
« Congregationum, et, quoad eius fieri poterit, etiam
« omnes Abbates regiminis convenient Romam pro novo
« Primate eligendo, vel pro eodem ad aliud duoden-
« nium confirmando, nec non pro negotiis prout supra;
« nisi eidem Primati videbitur pro gravissima aliqua
« causa infra duodennium convocare Praesides et Abba-
« tes praedictos.

« Quod si vero Primas infra duodennium e vita mi-
« graverit, aut alias officium eius de iure et de facto
« vacare contigerit, regimen Collegii S. Anselmi pro tem-
« pore vacationis penes Rectorem eiusdem Collegii erit,
« qui tamen, nulla mora interiecta, post obitum Primatis
« de mandato Summi Pontificis convocet omnes Congre-
« gationum Praesides et Abbates, prout supra dictum
« fuit, ad electionem infra sex menses habendam.

« Valide autem is tantum censeatur electus Primas
« et Abbas S. Anselmi, cui duae tertiae partes votorum
« in electione suffragaverint. Hac autem prima vice
« Abbas S. Anselmi et Primas is sit, quem Sanctissimus
« Dominus Noster Leo Papa XIII, Protector ac Patro-
« nus noster benignissimus, ad huius officii onus assu-
« mere dignabitur.

« V. Rector Collegii S. Anselmi de voluntate et
« consensu Abbatis gubernationem et disciplinam eius-
« dem Collegii tenens probe noverit, ea omnia quae re-

« lationes Collegii cum singulis Congregationibus respi-
« ciunt, ad Abbatem S. Anselmi, velut Primatem omnium
« Congregationum spectare. Teneatur vero Rector eidem
« Abbati omnimodam praestare operam ad idem Colle-
« gium fovendum, praesertim ad Professores eligendos,
« ad rationem studiorum necessitudinibus singularum
« Congregationum, quoad eius fieri poterit, accommodatam,
« instituendam, neque rem quamcumque novam alicuius
« momenti circa vivendi modum, disciplinam monasticam
« aut studia introducat absque consensu Abbatis S. An-
« selmi ».

Haec itaque scita, statuta, decreta Familiarum Benedictinorum atratorum, universa et singula, uti supra scripta sunt, omni ex parte probamus et confirmamus auctoritate Nostra Apostolica, eaque vim legis obtinere iubemus, quam praedictae familiae omnes perpetuo servare teneantur, non obstantibus constitutionibus, decretis, privilegiis, consuetudine, ceterisque contrariis quibuscumque, licet speciali mentione dignis, quibus ad effectum praesentium perinde derogatum volumus ac si tenor eorum de verbo ad verbum huc esset insertus.

Praeterea cum iuxta statuta et decreta praedicta, quae confirmavimus, confoederationi Familiarum Benedictinorum atratorum praeficiendus sit Abbas Primas qui simul futurus sit Abbas Collegii S. Anselmi de Urbe, hac prima vice, motu proprio et auctoritate Nostra, Primatem, adeoque Abbatem S. Anselmi, eligimus et constituimus dilectum Filium Hildebrandum Hemptinne, Abbatem Maredso-

liensem e Congregatione Beuronensi, cuius officium a Nobis collatum tamdiu sit duraturum, quamdiu Nobis et Nostris in hac Sancta Sede successoribus placuerit.

Ceterum per Congregationem Nostram negotiis Episcoporum et Regularium praepositam seorsum definientur enucleate peculiares quae sint partes muneris Abbatis Primatis, quaeque singularia eius iura et officia erga Ordinem universum, ut ea servetur Familiarum omnium coniunctio ad quam eius intendit institutio.

Interim quum simul vetus sapientia doceat res etiam tenues, nedum grandiores, concordia crescere, et divinis celebretur eloquiis *concordia fratrum*, utpote *probata coram Deo et hominibus* [1], haud immerito fore confidimus ut haec coniunctio partium omnium Ordinis meritissimi non modo ad eius decus et amplitudinem conferat, sed etiam fructuum quos efferet ubertate commodis Ecclesiae et totius humanae societatis, adspirante Deo, benevertat.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XII Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

A. CARD. SERAFINI

[1] Eccli. XXV, 1, 2.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VICARIATVS APOSTOLICVS CASANARENSIS
IN COLVMBIANA DITIONE ERIGITVR

VENERABILI FRATRI
ANTONIO SABATVCCI ARCHIEPISCOPO TITVLARI ANTINOENSI
NOSTRO ET HVIVS SANCTAE SEDIS
PENES FOEDERATOS COLVMBIAE STATVS DELEGATO

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Romani Pontifices in hac Beati Petri Cathedra divinitus collocati, e sublimi tamquam specula in omnes, vel longo terrarum marisque spatio seiunctas, Dominici gregis partes oculos cogitationesque convertunt, et quae catholico nomini bene, prospere, ac feliciter eveniant, ea praestare in Domino maturant. Iamvero quum Columbianae ditionis moderatores, enixas Nobis preces adhibuerint, ut e nimis ampla dioecesi Tunquensi territorium, vulgo « Casanare » appellatum, seiungere velimus, illudque in peculiarem Apostolicum

Vicariatum erigere dignaremur, et ipse Venerabilis Frater Tunquensis Antistes expressum ad hoc consensum praebuerit, Nos id rati in spirituale christifidelium earumdem regionum bonum et commodum cessurum, votis huiusmodi annuendum existimavimus. Quare, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. S. R. E. Cardinalibus negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis dirimendisque praepositis, motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, Tunquenae dioecesis de Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, dismembramus territorium « Casanare » nuncupatum; ex ea seiungimus, illudque Apostolica similiter auctoritate Nostra, per praesentes, in Vicariatum Apostolicum erigimus, qui praecipua oppida complectatur, quae civilis districtus « de Casanare » finibus continentur, nempe Nunchiam, Tamem, Araucam, Orocuem, Morenum, Porem, Trinitatem, ac Tamaram, quam civitatem novi Vicariatus Apostolici Sedem esse praecipimus. Huic autem novo Apostolico Vicariatui nomen facimus « de Casanare », illiusque regimen curis committimus Religiosorum Ordinis S. Augustini excalceatorum e Congregatione Hispana, qui « Candelarios » vulgari idiomate nominantur. Insuper volumus, ut novi istius Apostolici Vicariatus confinia eadem sint, ac civilis districtus « de Casanare ». Nempe a via Principe Fluminis Upia adversa aqua pergant ad scatebras usque Salineri amnis, hinc usque ad flumen Vijua; hoc e flumine ad fines usque qui seiungunt regiones « de Labranza-grande et Marroquin »; hoc e puncto ad locum

usque quo Tanga et Honda torrentes in unum coeunt, et in Tocaria flumen confluunt. Hinc per fines Morcote, et Nunchia prius ad Colorada torrentem, postea ad flumen Agua-Blanca, superato exinde monte Guerra per fines Santanderiensis districtus Imam tangant novi Vicariatus confinia, postea flumen Oira, et Sarare ad locum usque quo in flumen Arauca confluit. Ex hoc puncto ad locum « La Forzosa » nuncupatum progrediantur ipsa confinia, hinc ad veterem usque navalem stationem fluminis Meta, atque ex hac statione ad locum usque ubi idem Meta flumen fluminis Upia aquas recipit; hinc ipsa confinia, circumacto totius districtus spatio, ad principem fluminis Upia viam pergant. — Porro praesentium Litterarum executionem, tibi, Venerabilis Frater, committimus, qui Delegati Apostolici munere eadem Columbiana in ditione naviter perfungeris, ac de cuius prudentia, doctrina, consilio, rerumque usu luculenta testimonia suppetunt. Tibi propterea omnes et singulas necessarias atque opportunas facultates ad hoc tribuimus, et potestatem quoque subdelegandi, de Apostolica similiter Nostra auctoritate, facimus. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et illis, ad quos spectat, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque speciali licet atque individua mentione

ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XVII Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

A. CARD. SERAFINI

DECRETVM

QVO BENEFICIVM CVM ANIMARVM CVRA ARCHIEPISCOPALI SEDI GNESNENSI ET POSNANIENSI IN PERPETVVM VNITVR ATQVE ATTRIBVITVR

Conditioni et utilitati pastoralis procurationis R. P. D. Florianus Stablewski, Archiepiscopus Posnaniensis et Gnesnensis, in regione Borussica occurrere cupiens. SSmo Dño Nostro Leoni PP. XIII. humillime exposuit. sese, quum archiepiscopales aedes insalubri loco sint positae, nullam omnino in suae dioecesis finibus opportunam sedem habere, in qua possit clementiori caelo aestivos calores vitare, et attritas valetudinis vires reficere, ex quo fit ut quemadmodum decessores sui, ita ipse, ubi incommoda valetudo postulet, locum opportunum extra dioecesim ad rusticandum salubri secessu, non sine dioecesanae administrationis detrimento, cogatur exquirere. Huic autem gravi incommodo consultum fore significavit. si Sanctitas Sua Archiepiscopali Sedi Posnaniensi et Gnesnensi beneficium Paroeciae *Kvobia* nuncupatae, quod modo vacans est, et a libera collatione Archiepiscopali pendet, atque erectum olim et dote auctum ab Episcopis Posnaniensibus fuit, eidem Archiepiscopali Sedi in perpetuum addicere et incorporare dignaretur, salvis et servatis omnibus

quae ad spiritualem administrationem dictae Paroeciae pertinent; atque in hunc finem ab eadem Sanctitate Sua suppliciter petiit, ut precibus suis, praedicti beneficii unionem spectantibus, benigne vellet annuere. SSm̃us Dñus Noster, attentis expositis, omnibusque ad rem pertinentibus mature perpensis, huiusmodi preces benigne excipiendas censuit, ac de apostolicae potestatis plenitudine beneficium vacans Paroeciae Kvobia in Archidioecesi Posnaniensi sitae, cum omnibus suis iuribus et pertinentiis eidem Archiepiscopali Sedi Gnesnensi et Posnaniensi in perpetuum unire, attribuere et incorporare dignatus est, adnexa semper eidem Beneficio remanente animarum cura, quae, in locum Parochi, penes Administratorem ab Archiepiscopo deputandum una cum Vicario, congruis redditibus Administratori et Vicario ad sustentationem assignatis, esse debebit, ut spirituali fidelium regimini in eo territorio sit rite et plene consultum. Huius autem Decreti executionem Sanctitas Sua eidem R. P. D. Archiepiscopo Posnaniensi et Gnesnensi commisit, obligatione eidem iniuncta ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum transmittendi exemplar decretorum, quae huius rei causa ediderit, mandavitque huiusmodi Decretum expediri, perinde valiturum ac si litterae apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo expeditae fuissent, et in Acta Sacrae Congregationis Consistorialis referri.

Datum Romae, Die 17 Iulii, Anno Domini 1893.

Carolvs Nocella S. C. C. *Secretarius*

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOBILIBVS VIRIS
NICOLAO MAVRITIO E COMITIBVS ESTERHAZY
ET COMITI FERDINANDO ZICHY
PRAESIDIBVS SOCIETATIS LITTERARIAE A S. STEPHANO
NVNCVPATAE

BVDAPEST

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII NOBILES VIRI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Iucunda testis obsequii et amoris utriusque vestri et illustris, cui praeestis, societatis, ad Nos pervenit officiosa epistola, quam a. d. VIII Idus Maias ad Nos dedistis cum dilecto filio Adalberto Kisfaludy Vice-Praeside societatis eiusdem, nomine sodalium omnium, quos idem litterarum amor et cultus vobiscum coniunxit. Equidem indicia gratulationis vestrae, quae cumulare voluistis oblato munere, et fusa a vobis omina, quod sospites celebrare quinquagennalia episcopatus Nostri potuerimus, tam grata extitere Nobis quam quae gratissima. Perspeximus enim, vestra erga Nos officia ex firma fide et incenso in religionem

studio esse profecta, nec ambigimus quin illud prae vobis laturi sitis, animis consociatissimis, quoties res ac tempus postulaverit. Ipsas temporum difficultates animos vobis addituras arbitramur; hae namque, licet tristes saepe inferant iacturas et molestias pariant, ampliores tamen solidae virtuti dant aditus, unde progressa celsius assurgat ac splendidiori lumine effulgeat. Interim vobis, dilecti filii, nobiles viri, et societati vestrae propitiam adprecamur divinam opem, qua non minus religioni et patriae, quam litterarum studiis praesidio ac decori sitis; Nostraeque caritatis pignus, Apostolicam benedictionem vobis sociisque vestris, universis et singulis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
AVGVSTINO HVBERTO EPISCOPO PICTAVIENSI
PICTAVIVM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Eximiâ Nos laetitia litterae affecerunt, a dilecto filio Nostro Iosepho S. R. E. Cardinali Foulon, Archiepiscopo Lugdunensi, pridie Nonas Decembres anno superiore datae, fauste significantes, homines eos, quibus istic a *Parva Ecclesia* est nomen, nobili viro Mario Duc hodie primario ipsorum interprete, propensum quoddam studium ostendere ad schisma, quo tenentur, repudiandum, quaerendamque rite communionem catholicam sub Episcopis per romanum Pontificem constitutis. Nihil enimvero iucundius Nobis obtigerit, quam si videamus Ipsi paternas hortationes et vota decessorum illustrium, Pii VII, Leonis XII, Pii IX, aeque ac sollicitudines Nostras ad optatum exitum aliquando perductas. Verum, quum idem dilectus filius Noster iam ad caelestem iustitiae coronam, Deo vo-

cante, concesserit, tibi, Venerabilis Frater, cuius quoque in dioecesi, ut in Lugdunensi, non pauci esse dicuntur eiusmodi homines, satius duximus respondere; teque plane confidimus et certo scimus, adiutorem tam sancti gratique Deo operis strenuum maximeque industrium esse Nos habituros. Quum vero praeclarus antistes, quem Ecclesiae Lugdunensi nuper designavimus, honorem suum inierit, tuum erit haec eadem consilia Nostra cum illo communicare, quo aptius proposita, rationibus coniunctis, eveniant.

In quo illud primum optime, quod, uti allatum est, res agatur cum viro laudibus animi egregio, atque cum eis hominibus, qui, etsi deplorando errore ducti cum pastoribus legitimis communicare abnuunt, non tamen adversam Ecclesiae foveant voluntatem; quique non modo prava haereticorum et catholici nominis hostium invitamenta reiecerint, sed catholicas professi doctrinas, catholicos etiam ritus ac disciplinam et precandi morem observent. Pulcherrima ex eo Nos tenet spes, homines ita animis comparatos non difficulter esse audituros qui cum prudentia admoneant et caritate: nam quae de illis feruntur dubitandi haesitandique capita, admonitione potius indigent quam refutatione. Nempe affirmant, se unice sollicitos de proprio Ecclesiae ac nativo iure asserendo; nihil curare magis, quam ut libertas eius nulli obnoxia sit humanae potestati; huiusce rei firmam tutelam maximumque praesidium in eo censere ut sacrorum antistites, quos hierarchiae gradus semel habuerint, stabili perpetui-

tate retineant; eos propterea dignitate et sede sua nefas esse amoveri. — Profecto nemo unus sana mente putaverit, ista iura libertatemque Ecclesiae quibuslibet privatis hominibus vel cuivis episcopo plus cordi esse, quam Apostolicae Sedi, quae omnium mater est et caput Ecclesiarum; aut ipsam, ad illa procuranda Ecclesiae bona, incitamentis egere eorum, quos, si vere catholici et haberi et esse velint, eidem obsequi et parere oportet maxime. — Fatendum equidem, ratum sanctumque esse ut ne dignitate et sede sua, ullius operâ humanae potestatis, episcopi amoveantur; neque tamen diffitendum, id Apostolicae Sedi, pro suprema in agnos et oves auctoritate, omnino licere, quum gravia rerum momenta atque summum Ecclesiae bonum deposcant. Constat autem ex publicis monumentis, illos nimirum episcopos, qui tam bene diuque erant de Ecclesia meriti, si primum quidem, neque satis fortasse compertâ causa, invitationi Pii VII visi sunt restitisse, re postea melius considerata et percepta, pontificiis hortamentis docilem praebuisse aurem ad unum omnes: constat pariter, decreta et praescripta Apostolicae Sedis, quibus res catholica in Galliis quasi a ruinis restituebatur, ab eis ipsis episcopis et ab universo episcoporum coetu fuisse plene probata. Quippe intellexere omnes, neutrum fas esse affirmare, Ecclesiam catholicam, vel a Galliis per Pium VII quodammodo exulasse, vel totam in aliquot hominum millibus, pastoris expertibus, constitisse. Illi igitur episcopi, tum qui statim tum qui deinceps iussis romani Pontificis obtemperaverunt, sicut

antea, firmitate propositi contra impiorum conatus, et laboribus aerumnisque toleratis, sese Deo et Ecclesiae *operarios inconfusibiles* exhibuerant, ita multoque amplius iuverunt Ecclesiam et populorum consuluerunt saluti, quum, pacis in illa conciliandae causâ, religionisque apud Gallos relevandae, abdicationem dignitatis suae, salva omnino Sedis Apostolicae auctoritate, Deo et Ecclesiae obtulerunt. Qua de re exempla in annalibus sacris non desunt vetera et nova. Insignia quidem ad memoriam, simul factum S. Gregorii Nazianzeni, e sede Constantinopolitana, studio pacis, ultro cedentis, simul illa a S. Melchiade, decessore Nostro, prolata sententia « quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica [1] ». Hic enim ut Donati schisma, quod post tantam diocletianeae persecutionis cladem vexaturum erat Ecclesiam Dei, sub initia extingueret, sic ex auctoritate statuit, ut quibuscumque locis duo essent episcopi quos dissensio geminasset, is confirmaretur qui fuisset ordinatus prior, alteri plebs alia regenda provideretur [2]; hoc erat ut catholicus episcopus loco abiret, in eius episcopi commodum qui schisma eiurasset. Tanti bonum pacis in Ecclesia faciendum esse sanctus ille Pontifex existimavit, ut episcopos iam scelestissimi schismatis reos, si ab errore viae suae ad sanitatem redire voluissent, catholicis integerrimisque episcopis anteponendos decerneret: recte propterea ab Au-

[1] S. Aug. *Epist.* XLIII, c. 5.
[2] S. Aug. *Ib.*

gustino salutatus tamquam « vir optimus, filius christianae pacis, pater christianae plebis [1] ». — Quae praeconia virtuti gestisque rebus Pii VII merito sane conveniunt. Ubi enim acerbitas temporum, benignissima Dei ope, interquievit, omnem ipse convertit animum, omnesque curas ad vulnera sananda, quae Ecclesiae in Galliis horrenda impietatis vis et multa et gravissima inflixerat. Id autem effecit per ea, quae cognita sunt, plena providentiae decreta et praescripta: atque, una cum restitutae religionis decore, pacem Ecclesiae tam feliciter confirmavit, ut qui auctoritate eius consecutus est episcoporum ordo, gradu suo dignissimus et fidelibus venerabilis haberetur, atque ab omnibus ubique episcopis in fraternitatis communionem reciperetur. Nulla igitur esse potuit causa iure probata, cur homines illi, quicumque fuerint, de quibus nunc agitur, primi duces, sese ipsi a christiani orbis innocentissima communione praeciderent. — Neque hi vero suae morum honestati et disciplinae custodiae, neque religionis studio, fideique stabilitati confidant: aperte enim edicit Apostolus, haec omnia nihil, remota caritate, prodesse [2]. — Quod autem ipsos nullus admodum episcopus tamquam oves cognoscit et habet proprias, ex hoc etiam plane evidenterque intelligant, se versari profugos ob ovili Christi. Clamat quippe S. Ignatius, apostolicus vir idemque martyr illustris: « Scribam vobis

[1] S. Aug. *Ib.*
[2] I. Cor. XIII, 3.

« iterum, si, Deo favente, nuntius mihi contigerit, vos ad « unum omnes et singulos per gratiam convenire in una « fide et in uno Iesu Christo, ut obediatis episcopo et pre« sbyterio, mente individua frangentes panem unum, qui « pharmacum immortalitatis est [1] »: tum etiam « abstinete « a noxiis herbis, quas non excolit Iesus Christus, quia non « sunt plantatio Patris. Quotquot enim Dei sunt et Iesu « Christi, hi cum episcopo sunt; et quotquot poenitentia « ducti redierint ad unitatem Ecclesiae, et hi Dei erunt, « ut secundum Iesum Christum vivant. Ne erretis, fratres « mei: si quis schisma facientem sequitur, regnum Dei « non hereditat [2] ». — Eodem accedit quod nihil quidquam polliceri sibi tales homines possunt de gratiis subsidiisque iugis sacrificii et sacramentorum; quae, etsi sacrilege, valide tamen administrata, utcumque proderunt ad eam *formam* seu *speciem pietatis*, quam notavit apostolus [3], et fusius idem Augustinus tractavit, haec perapte monens: « Potest enim esse visibilis forma palmitis etiam praeter « vitem, sed invisibilis vita radicis haberi non potest nisi « in vite. Proinde corporalia sacramenta, quae portant et « celebrant etiam segregati ab unitate corporis Christi, for« mam possunt exhibere pietatis, virtus vero pietatis invi« sibilis et spiritalis ita in eis non potest esse, quemadmo« dum sensus non sequitur corporis membrum, quando am-

[1] Ad Ephes. XX.
[2] Ad Polycarp. VI.
[3] II. Tim. III, 5.

« putatur a corpore [1] ». At vero quum sacerdos iam supersit nullus qui eis ipsis adhaereat, ne talem quidem formam pietatis iidem praeferre possunt, uno dempto baptismate, quod infantibus privatim conferre dicuntur, suscipientibus quidem, modo quum adoleverint schismate abstineant, profuturum, sed mortiferum dantibus, quippe qui id agant voluntario schismate impliciti.

Haec omnia si attenta illi cogitatione considerent, rectoque, ut par est, animo complectantur, fieri sane non poterit quin, gravi permoti sollicitudine, adducantur ut vocem audiant Dei miserentis, atque Ecclesiae catholicae et apostolicae, studiosissimae matris, expleant vota. Res periclitatur omnium maxima et potissima: nam « Quid « vultis amplius, homines (eiusdem Augustini verbis valeat « ad eos cohortatio), quid vultis amplius? Non de auro et « argento vestro agitur; non terra, non praedia, non deni- « que salus corporis vestri in discrimen vocatur: de adi- « piscenda vita aeterna et fugienda morte aeterna compel- « lamus animas vestras. Expergiscimini aliquando [2] ». — Reliquum est, Venerabilis Frater, ut curis studiisque Nostris, quibus pastoralis prudentia et caritas Archiepiscopi Lugdunensis itemque tua profecto erit optime responsura, optata incrementa afferat Deus, cuius gloria in revocandis ad salutem deviis splendet mirifica. Nunc vero, peculiaris benevolentiae testem atque auspicem caelestium

1 *Serm.* LXXI, *in Matth.* 32.
Ep. XLIII, 3

munerum, Apostolicam benedictionem tibi et clero populoque tuo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO
ANTONIO FIAT
MODERATORI CONGREGATIONIS PRESRYTERORVM MISSIONIS
ET FILIARVM A CARITATE
PARISIOS

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI RELIGIOSE VIR
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Perceptam a Nobis laetitiam, quum te, paucis ante mensibus, in frequenti corona utriusque inclitae familiae cui praees, coram admisimus, modo litterae tuae cumulaverunt, nuncio allato gratissimo. Scilicet proximum esse ut, quod vehementer Nos optare non semel ediximus, studiis impensisque vestris certa domus comparetur, iam a viro nobilitate et religione praeclaro hac in Urbe educta, eius autem obitu intermissa, quae perapta est Filiis a Caritate excipiendis, variisque sub ipsarum cura institutis operibus provehendis. — Id sane tribuimus tibi praecipue; quo gravissime appellante universam earumdem filiarum Sodalitatem, vis argenti opportuna collata est; quo sollertis-

sime difficultates reliquas perrumpente, res quamprimum cum divina ope absoluta erit et perfecta. Ex quo novum quidem splendidiusque argumentum extat, quam integre apud vos spiritum custodiatis Vincentii Patris: eius enim non satis unquam laudari queat, vel summum obsequium ad ipsa romanorum Pontificum desideria, vel constantia invicta ad perardua quaeque opera caritatis. — Ita fiet, ut eidem filiarum Sodalitati sedes propria Romae non desit, quod aequum maxime est ac decorum, praeter quam quod res ea beneficentiae tantae, quam ipsae ad puellarum salutem iampridem exercent, stabilitatem utilitatesque multo erit felicius habitura.

Hanc vero rem, tamquam sibi gratissimam, ipse legifer Pater vester respiciet bonus et proteget: Nos, perinde ac donum egregium in hac faustitate exhibitum, peramanter excipiemus studioseque fovebimus. — Habe, dilecte fili, expressum animum Nostrum, erga te atque tuos omnino benevolum et paternum; cuius etiam sit testis Apostolica benedictio, quam tibi primum et utrique Vincentianae Familiae largam a Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIX Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
MODERATORIBVS ET DOCTORIBVS INSTITVTI AB IMMACVLATA
AD THERMAS

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In hisce Nostris singularibus gaudiis, tale vos fidei, amoris, grati animi specimen communi epistola detulistis, quod propria quadam causa peracceptum esset ac peculiarem a Nobis benevolae mentis significationem exposceret. Nos enim, si eximium de instituenda iuventute consilium, quod primus vestrum magno animo cepit, inde ab initiis tantopere probavimus fovimusque, atque incrementa eius constanter dileximus, re nunc adulta largeque frugifera, aequum est et amplas Deo edere gratias et iustam laudem viro benemerenti optimisque adiutoribus impertire. Quanti equidem, in doctrinis, in moribus, in religione, teterrimam luem saeculi a succrescente aetate prohibere! quanti, id efficere hac ipsa in urbe, quae sedes princeps est catholici nominis, quae omnis humanitatis sapientiae-

que domicilium fuit semper insigne! quam praeclara inde in rem privatam et publicam commoda et ornamenta! — Ista vosmet, dilecti filii, plus explorata habetis, quam ut commendatione indigeant. Videtis ipsi, haud longo temporis spatio, multam alumnorum spem, qua maturam, qua florescentem; videtis, ut alacris docilisque se vobis iuventus excolendam credat, ut omnino in fide et sollertia vestra parentum sollicitudo conquiescat ita fere, ut de illa optimorum temporum institutione nihil iam quod desideretur sit reliquum. — Pro summa igitur qua urgemur caritate ad vera bona iuventutis Nostraeque pontificalis urbis tutanda, hortamur vos, ut in tanta re unis aeque animis confirmatisque viribus elaborare pergatis: ipsae improborum multiplices artes ad iuventutis perniciem, sint ad salutem eius incitamento vobis et documento. Quod autem recte admodum pieque optatis, ut operam vestram ubertas divinae gratiae in ampliores fructus laetificet, idem Nos vehementer exoptamus, atque, auspice Virgine Immaculata, imploramus, Apostolica benedictione in vos omnesque disciplinae vestrae alumnos amantissime effusa.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
DOCTORI IOANNI THALER ADVOCATO
HERBIPOLIM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Comperimus libenter ex litteris postridie Idus Iulias a te datis una cum dilectis filiis, qui in comitatum coivere, cui praesides, parari a vobis generalem conventum catholicorum e Germania virorum, qui Herbipoli agetur flectente ad exitum proximo Augusto mense, auspice Ven. Fratre istius civitatis Antistite. Huiusce rei quum gratus Nobis nuncius extiterit, effectionem ipsam confidimus longe gratissimam fore. Bona enim, quae multos abhinc annos ex huiusmodi conventibus parta sunt, certam Nobis spem ostendunt, etiam quadragesimum istum, qui a vobis paratur, feracem extiturum fructuum optimorum. Imprimis ipsa quamplurium in unum congressio, sermonum, consiliorumque communicatio id profecto efficiet, ut mutua foveatur caritas, atque arctior inter Germaniae catholicos

concordia vigeat; erit autem prudentiae vestrae curare ut ea constituantur, per quae animorum coniunctio firmius constet et tenacius cohaereat. Perdignam pariter studiis curisque vestris quaestionem agnoscimus quae socialis dicitur, apteque a te memoratur, utpote quae iamdiu acta est in consiliis vestris, unde plura profecta sunt opera et instituta, civibus utilia, reique publicae salutaria. Eo vos gradientes tramite, aliaque molientes scite ad opificum conditionem allevandam, nemo non optime de patria mereri intelliget, nemo non suis prosequetur studiis ac debita laude. Nos interim a Deo petimus, ut vobis instruentibus ea, quae ad illustrem hunc coetum habendum usui futura sunt, propitius adsit, et omnibus qui vocatui vestro responderint opem et lumina sapientiae suae large suppeditet; simulque Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, collegis tuis, ceterisque omnibus, qui ad indictum coetum congressuri sese vobis socios adiicient, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS REGVLAE ET CONSTITVTIONES
CONGREGATIONIS A S. PVERO IESV NVNCVPATAE
APOSTOLICA AVCTORITATE CONFIRMANTVR

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Pastoralis muneris officio admoniti Romani Pontifices in religiosas Congregationes, ex quibus christiana res tot tantaque emolumenta percipit, curas cogitationesque suas intendunt, et quas tum pietatis studio, tum erga Romanam Cathedram observantia, tum assidua bonorum operum exercitatione ceteris praestare norint, meritis praeconiis laudis prosequi gestiunt et earum constitutiones, atque instituta, ex quibus regularis disciplinae decus proficiscitur, Pontificiae sanctionis munimine pro re ac tempore roborare solent. Harum in numero adscribi iure potest religiosarum sororum Congregatio, quae sub invocatione S. Pueri Iesu principem domum in loco vulgo « Mayfield », cui nomen factum, dioecesis Southwarcensis intra fines habet. Haec societas in Anglia erecta primum est anno MDCCCXXXXVI atque a cl. mem. S. R. E. Presbytero

Cardinali Wiseman, tunc temporis Londiniensi Apostolico Vicario, approbata. Fundatrix piissima mulier Cornelia Connelley; praecipuus sodalitatis finis, ex omni sociali ordine puellarum, tum divitum, tum pauperum catholica institutio. Sed tantos brevi ipsa pia ac frugifera congregatio progressus, favente Domino, nacta est, ut plures, ac frequentes in praesentia domos habeat in Anglia, in Galliis et in America; plures sacrorum Antistites summas in eam laudes contulerint, Nosque ipsi, inspectis amplissimis eorumdem Episcoporum suffragiis, societatis praedictae regulas et constitutiones, praevio maturo examine, per Apostolicas Litteras die VII Augusti anno MDCCCLXXXVII, ad quinquennium approbaverimus. Verum cum nuperrime dilecta in Christo filia Angelica Croft, moderatrix generalis ipsius congregationis a Sancto Puero Iesu, enixas atque iteratas preces Nobis adhibuerit, ut sui instituti regulas et constitutiones, modo praeterlapso praefinito quinquennii spatio, perpetuum in modum confirmare dignaremur; Nos omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, de Fratrum eorumdem consilio, piis hisce votis benigne obsecundandum censuimus, et nonnullis, prout in Domino expedire Nobis visum est, immutatis, die XX Maii mensis, anni vertentis, decretum ad hoc edidimus. — Quae cum ita sint, prae oculis habentes luculenta quae Nobis exhibita sunt testimonia de singulari provehendae catholicae fidei zelo ac regularis disciplinae adamussim servandae studio, nec non de conspicuis aliis,

quibus dicta congregatio enitet laudibus; simulque animo repetentes quot uberes capiant in vinea Domini fructus religiosae eaedem sorores, quae ut piam de tenero ungui puellis institutionem sortiantur, nullis laboribus nullisque curis parcunt, easque et flexanimis verbis, et potissimum vitae innocentis exemplo, ad verae virtutis semitam alliciunt; ut ipsa congregatio simul habeat et voluntatis Nostrae pignus et ad potiora capessenda stimulum, piae Congregationis a S. Puero Iesu nuncupatae regulas et constitutiones ad normam supra dicti decreti a S. Congregatione fidei propagandae editi die xx Maii mensis, anni vertentis, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, confirmamus, ratasque habemus, easque Apostolicae sanctionis robore perpetuum in modum munimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxviii Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

A. Card. SERAFINI

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ALOISIO ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam significasti non ita pridem laetitiam, quod sacro in Seminario tuo Facultatem theologicam restitutam probavimus, Collegio et privilegiis auximus, eadem sane est laetitia Nostra. Nam, petentibus tecum Episcopis provincialibus, perlibenter Nos dedimus, ut illud institutum quod istius omnino decet ecclesiae civitatisque amplitudinem, quodque praeclaris tum auspiciis tum fructibus iamdiu constiterat, ad pristinum honorem auctoritate pontificia revocatum vigeret. Quamquam id ipsum alia quoque persuasit causa. Apud vos enim res theologica quum iam ad rationem et viam Aquinatis, secundum praescripta Nostra, recte optimeque procederet, tale erga Nos obsequium et Antistitum et doctorum peculiari dignum erat commendationis praemio; ex quo praeterea in ordines clericorum acrius quoddam influeret studium ad eam praestantissimam disciplinam quaerendam penitusque assequen-

dam. — Certe doctrina sacra, magistro Thoma et patrono, percepta, quam valde possit ad summas cleri et populi utilitates, illustrius in dies magna animi consolatione videmus. Quo fit, Venerabilis Frater, ut eiusmodi beneficia ecclesiis provinciae tuae ampla exoptemus, illud potissime ut fides in eis decore suo excellat. Nisi enim praeeat fides, cetera in commune bonum inducta praesidia non vere sunt nec diu profutura, ut vox monet Ambrosii vestri: « Prior fides, secunda misericordia; cum « fide, pretiosa misericordia; sine fide, nuda; sine fide, « instabilis: fides virtutum omnium stabile fundamen- « tum [1] ». Equidem per istas regiones fidem religionemque hoc proximo tempore incaluisse, commemoratu iucundum est: hoc vero ardentius fore speramus, operâ in primis sacerdotum, quos eximia doctrinae laus itemque pietatis commendet. — Nunc tibi, Venerabilis Frater, de votis pro incolumitate Nostra tam benigne susceptis habentes gratiam, similia vota referimus; tuque eidem Facultati et Collegio theologorum, cui Magnus Cancellarius praesides, paternam caritatem Nostram velimus testeris, munera simul conferens Apostolicae benedictionis, quam tibi eisque cumulate a Deo imploramus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

[1] In ps. LX, n. 4.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
VICTORI LVCIANO
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LECOT
ARCHIEPISCOPO BVRDIGALENSI

BVRDIGALAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gratae vehementer Nobis litterae extiterunt, quas die XXVI superioris mensis Iulii ad Nos dedisti; novum enim praebuere argumentum tuae erga Nos voluntatis, et sollicitudinis, qua duas causas prosequeris, quae Nobis maxime cordi sunt, quippe religionis et Gallicae gentis bonum respiciunt. Sane ex accurata descriptione qua praesentem istius regionis statum Nobis exhibuisti, perlibenter agnovimus in dies magis invalescere studia conciliandae concordiae et pacis, quae, datis iterum iterumque litteris, cordatis istic omnibus probisque viris enixe commendavimus. Equidem felicis instar ominis illud habemus quod intelligimus rationis vocibus cedere falsas opinationes

mentibus inditas de Ecclesia, quasi sit gentis prosperitati infensa, ultroque ad temperatiores sensus aequitatis ferri quum viros acriori praeditos ingenio, tum populares homines, qui simplices suapte natura ad recte sentiendum feruntur. Id laetam Nobis spem ostendit, felix illud atque optatissimum tempus appetere solidae pacis, quo gens Gallica possit dispersas vires colligere, easque ad commune bonum coniunctas intendere. Verum etsi merito ex hisce iucunde afficiamur, facere tamen non possumus, quin aegre feramus graviterque improbemus quorumdam ausum, qui catholicum nomen praeseferentes et amorem avitae religionis, ita se partium studiis abripi sinunt, ut, procacibus scriptis in vulgus editis, violenter audeant viros impetere qui praecelsas obtinent in Ecclesia Dei dignitates, nec ipsum supremum Antistitem expertem faciant conviciis suis. Imo etsi iis probe gnarum sit, se nihil hoc tramite assequi, quo magis causa politica, quam tuentur, proficiat, hoc tamen uno gaudere videntur fructu laboris sui, quod conatibus Nostris moram atque impedimenta inferre possint, ac salutari obsistere propensioni animorum, qui fessi dissidiis ad pacem inclinant. Quare ne id eveniat in quo ipsa Galliae salus sita est, praeoptant invicem distrahi dissentientes filios familiae eiusdem, ac fraternum certamen diutius perduci cum ingenti patriae et religionis pernicie.

Equidem quid animo intenderimus quum amicum paternumque alloquium, sacro congruens ministerio Nostro, ad gallicam gentem convertimus, nemini iam obscurum

esse potest vel anceps. Diuturna experientia perspicue docuerat omnes, statum civitatis ita istic immutatum, ut in praesenti rerum conditione haud posset sine gravi perturbatione ad pristinam formam reverti. Catholica religio, quam multi, licet immerito, existimabant fovere intestina dissidia, in summum vocabatur discrimen; vexationibus in dies acrioribus obnoxia fiebat Ecclesia. Haec plane erant eiusmodi quae neminem latere possent. Iamvero in ea rerum asperitate Nos, quorum est religionis summas tueri rationes, etsi plane sciremus nemini absque temeritate fas esse coercere finibus actionem providentiae Dei in futuras gentium sortes, nec Nobis in mente fuerit civium laedere intimos animi sensus, quibus adhibenda reverentia est; pati tamen nequivimus, ut quidam, partium studio ducti, religionis specie quasi clypeo uterentur, quo tutius publicae potestati iamdiu constitutae obsisterent: ex quo obsistendi conatu nullus quidem erat expectandus utilitatis fructus, ingens imo religionis detrimentum. Quare eo spectantes, prout rei dignitas poscebat, ne religio augusta certaminibus misceretur humanarum cupiditatum vel tricis fallacibus politicae rationis, sed rebus omnibus, uti par erat, celsius emineret, probos cordatosque cives gallicos omnes appellavimus, suadentes, ut civitatis statum, prout constitutus fuerat, agnoscerent ac pro fide sua retinerent, veterumque iurgiorum obliti contenderent ut iustitia et aequitas praeessent legibus, debita Ecclesiae redderetur observantia et libertas, atque ita, studiis collatis, prosperitati communis patriae consulerent. Quum haec ratio con-

silii sit et incepti Nostri, miserum simul et absurdum est extare aliquem, qui iactans maiorem sibi quam Nobis curam esse Ecclesiae, ius sibi arroget loquendi eius nomine adversus documenta et praescripta illius qui Ecclesiae eiusdem tutor et Caput est. Putamus equidem huiusmodi homines, qui tam audacter indigneque se gerunt, neminem in Galliis reperturos veros inter Ecclesiae filios, qui eorum sententiam probet aut imitetur exempla. Ecclesiae enim veri nominis filios eos iure censemus, qui praenobili bono religionis et patriae privatas sententias utilitatesque posthaberi haud aegre patiuntur. Istorum minime ambigimus quin dociles animos solidamque virtutem et Deus amplis muneret praemiis, et boni omnes probent meritaque efferant laude.

Pignus interea praecipuae benevolentiae Nostrae, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, clero et fidelibus tuae curationi commissis, ex imo corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die III Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILISSIMO PRINCIPI
MAXIMILIANO
DVCI SAXONIAE REGIAE

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOBILISSIME PRINCEPS
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Egregie te Nobis probasti filium, qui tam pio studio nunciaveris, te iam Deo servire uni in clericali militia, ipso vocante, decrevisse. Generosi quidem sanguinis animique militibus rex caelestis mirifice delectatur, et praeclara ab eis incrementa gloriae expectat. — Amore Nos paterno gratulamur tibi propositum, ipsique Deo enixe commendamus; cuius munere auxilia tibi ad studia sacra et ad tirocinium sacerdotalis virtutis affluant omnia. Voti auspicem, effusam a Nobis habe, quam expetis, gratiam benedictionis.

Datum Romae apud S. Petrum die v Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

CASPARI DECVRTINS

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nihil Nobis optatius accidit, quam opportunitatem nancisci studii declarandi et sollicitudinis, qua complectimur operariorum classem, cuius fortunam miseram allevari cupimus dignamque fieri populis humanitate excultis, iustitia et caritate ducibus, quas intulit christiana religio, magisque in dies provehet per orbem universum. Fert enim ratio ministerii Nostri, ut illic semper praesto simus ad opem ferendam parati, ubi moerentes solatium expetunt, patrocinium infirmi, miseri malorum levamen. Nobilis huius officii conscientia exciti, eorumque memores quae docuit Servator divinus humanum genus, nuncia amoris et pacis verba fecimus orbi catholico per litteras encyclicas, quarum initium « *Rerum novarum* ». Fuse in iis agentes de conditione opificum, eo spectavimus ut sedaretur triste dissidium, quo graviter conflictatur in prae-

sens humana societas. cui popularium cupiditatum concitatio quasi taetrica nubes incumbit, instatque procella fremens naufragii iniecta formidine. Neque omisimus pro re nata penes supremas auctoritates civiles operariae plebis causam agere, ne tanta tamque utilis hominum multitudo derelicta atque indefensa dedatur classi quaestuosae, quae in rem suam vertit illorum egestatem.

Propterea non levem voluptatem cepimus ex iis quae Nobis, dilecte fili, nunciavisti de conventu nuper acto Biennae in Helvetia, quo congressi a pluribus opificum millibus delegati viri, utut e dissitis profecti locis, studiis et religione diversi, maximo favore et plausu prosequuti sunt praedictas litteras encyclicas, ultro agnoscentes tradita in iis documenta apprime accommoda ad tuendas legitimas eorum rationes, firmasque bases parandas (quod omnium in votis est) quibus aequus rerum ordo adstruatur, unde in hominum societate solida sequatur pax, veteri inter dominos et mercenarios contentione dirempta. Ac sane quantopere eo conferat salutaris vis catholicae Ecclesiae, quum constans et late patens experientia demonstrat, tum eorum ipsorum confessio qui sese ab illa profitentur alienos. Suapte enim natura et institutione, populorum mater et educatrix Ecclesia est, ac praevalida in promptu habet instrumenta et praesidia, quorum ope ab hominibus iure sociatis vita commodius, nedum honestius et sanctius, agatur. Proinde facere non potest quin leniendis doloribus et allevandis miseriis amanter ac liberaliter operam conferat suam. Satis est ea meminisse

quae, teste historia et traditione maiorum, Ecclesia gessit ut antiquae servitutis labem aboleret. Ex eo quod sola suis viribus potuit tantum tollere stirpitus humani generis dedecus quod penitus moribus inoleverat, facile licet arguere quid praestare queat ut operariam classem eximat ex iis rerum angustiis, in quas aetate hac nostra eam coniecit humanae societatis conditio. Facile pariter exinde intellectu est, ad hoc perficiendum opus pietatis eximiae ac verae humanitatis, nihil potius et efficacius esse quam conniti ut alte insidant animis christianae praecepta legis, moribusque hominum moderatrix praesit Evangelii doctrina. Quare haud minorem inesse putamus laudem quam opportunitatem et fructum in eo consilio, quod iniistis, ut per huiusmodi conventus populi et imprimis operariae classis animi iis imbuantur documentis, quae memoratis litteris Nostris explicavimus, e sanctissimis Ecclesiae doctrinis hausta, atque ut, illis probe perceptis, certam induant persuasionem, ea quae legitime expetunt bona opperienda esse, non ex inconsulta socialis ordinis perturbatione, sed ex vi salutari sanctoque dominatu illiùs sapientiae, quam de caelo illatam ad regendos hominum mores Christus Dominus in terras effudit.

Nec minus Nobis probatum extitit scitum illud Biennensis conventus, quo cautum est ut proxime novus ac frequentior indicatur operariorum coetus, cuius communi voto eorum curae qui rebus publicis praesunt eo convertantur, ut pares ubique ferantur leges, quae infirmitatem protegant puerorum mulierumque operantium, eaque effici

iubeant quae litteris Nostris agenda suasimus. Neque vero multis opus est ut summa huiusce rei ratio in aprico sit. Nam siqua gravis et probabilis causa est, ex qua publica auctoritas iure sese interponat legum latione ad rationes tuendas operariorum, nulla sane gravior ac probabilior videri poterit, quam necessitas subveniendi imbecillitati puerorum et feminarum, unde initia vel ortum succedens progenies habet, viresque et opes gentis cuiusque magna ex parte promanant. At parte ex alia nemini obscurum est quam imperfectum patrocinium foret labori opificum per leges datum quas diversas sibi unaquaeque civitas ferret. Quum enim aliae aliunde profectae merces saepe eodem confluant ut venum eant, certe modus et finis labori opificum alicubi praescriptus fructus industriae proveheret alterius gentis in alterius perniciem.

Hasce aliasque id genus difficultates sola nequit infringere legis humanae vis. Vinci illae demum et infringi poterunt, si christiana de moribus disciplina passim excepta mentibus late floruerit, hominesque actus suos ad normam exegerint documentorum Ecclesiae. Quae si praecesserint, commode accedet ad communem salutem concors adiutrix legum latorum prudentia et omnium, quibus quaeque gens pollet, virium actuosa explicatio.

Tibi vero, dilecte fili, qui studio inflammato vires ingenii operamque omnem et industriam eo confers, ut scopum tam nobilem assequi liceat, hoc benevolentiae Nostrae testimonium palam praebere voluimus, certa spe ducti te strenue persstiturum in inceptis, sedulo adnitentem

ut latius in dies doctrinae vulgentur et invalescant traditae in documentis, quae, ad levandas miserorum aerumnas firmandumque socialem ordinem, ab hac Apostolica Sede prodiere. Divini interea auspicem favoris qui conatibus tuis secundus adspiret, Apostolicam benedictionem tibi tuisque peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT. S. MARIAE TRANSTIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI

BALTIMORAM

—

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quod nunciari Nobis curavisti, conventum frequentissimum virorum catholicorum, Septembri mense ineunte, Chicagii habitum iri, in quo de quaestionibus gravissimis erit disceptandum, id Nobis accidit sane iucundum. In eo autem valde dileximus pietatem et observantiam tuam quod optaveris ut huic conventui adprecatio et benedictio Nostra felix faciat auspicium. Equidem pio huic desiderio libenter annuimus, Deumque rogamus enixe, ut ope sua et lumine suae sapientiae omnibus, qui tecum illuc congressuri sunt, propitius adsit, ac deliberationes et scita vestra fructuum optimorum ubertate fecundet. Tibi itaque, dilecte fili Noster, ceterisque qui coetus praedicti

participes fuerint, nec non clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VII Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
CAIETANO TIT. S. MARIAE IN COSMEDIN
S. R. E. DIACONO CARDINALI DE RVGGIERO
IN SACRO CONSILIO CHRISTIANAE FIDEI PROPAGANDAE
SVMPTVVM MODERATIONI PRAEFECTO

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae singularis fuit providentia Decessorum illustrium, sacro isto Consilio condito ampliterque aucto ad christianum nomen in gentibus proferendum, ea usque clarior, iam tria fere saecula, elucet ex constitutionibus et praescriptis quae in eamdem rem tum ipsi Pontifices romani, tum ipsum Consilium plurima opportune tulerunt. Ornamento igitur bonoque Ecclesiae ac studiis etiam doctorum hominum plane debebatur, ut illa utriusque generis documenta novâ copia et industria rursus ederentur, uno distributa corpore, quod *Ius pontificium de Propaganda Fide* plene referret. — Tale quidem propositum quum primum ab eodem sacro Consilio susceptum est, omni Nos auctoritate

auspicioque sumus complexi: rem vero ipsam expectationi respondere Nostrae volumina quatuor probe declarant, quae aliud ex alio oblata accepimus, delectu et ordine rerum, neque minus nitore artis, admodum commendabilia. De quo nunc placet peculiarem tibi comprobationem testari, qui, pro munere, huic etiam negotio eximia sollertia praees, atque iustam per te laudem tribuere dilecto filio Raphaeli De Martinis, presbytero Vincentiano, cuius intelligenti iudicio, laboriosisque curis tam densum opus digestum est ac procedit feliciter. — Felicius autem procedat vehementer optamus, atque ad exitum perfectionemque adducatur: in quo sane habebitur et codex optimus legum ad sacras Missiones regendas, et locuples prudentiae sapientiaeque thesaurus, ad rem historicam, canonicam, moralem illustrandam perutilis. Quae omnia tibi, Dilecte Fili Noster, cunctoque isti sacro Consilio gratulantes, ac summam affirmantes benemerendi de rebus vestris voluntatem, Apostolicam benedictionem tibi et singulis, eidemque operis curatori, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS NOVAE DIOECESES GALLENSIS ET TRINCOMALIENSIS IN INSVLA CEYLANA ERIGVNTVR

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In hac Beati Petri Cathedra, meritis licet imparibus, divinitus collocati, tamquam e sublimi specula, ne quid christiana res detrimenti capiat, in omnes dominici gregis partes oculos convertentes, prospicimus, atque ea praestare, favente Domino, satagimus, quae catholico nomini, aeternaeque fidelium saluti, bene, prospere ac feliciter eveniant. Iamvero cum insula Ceylana in Indiis Orientalibus, longe lateque admodum pateat, ita ut quae illic tantummodo tres extant dioeceses nimis dissitis comprehendantur limitibus; cumque propterea uniuscuiusque dioecesis clerus impar omnino evadat, tum ad necessaria Christifidelibus auxilia praebenda, quorum quidem numerus, Deo adiuvante, quotannis augetur, tum etiam, quod maximi ponderis est, ad evangelizationis opus, quantum interesset, quotidie magis provehendum; ideo collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis

Propagandae Fidei praepositis, atque omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis, peropportunum Nobis visum est, novas inibi dioeceses erigere, ut ita catholicae religionis incremento latissime in illo territorio consultius occurratur. Quam ob rem motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, duas novas in Ceylana insula dioeceses erigimus, Gallensem alteram a loco vulgo « Galle » nuncupandam, alteram a loco vulgo « Trincomalie ». Illa provinciam civilem vulgo « Galle » dictam nec non provinciam vulgo « Ratnapura » comprehendet; quae quidem provinciae seiungentur ab archidioecesi Columbensi, cui compensationis loco provincia vulgo « Kurunegala » appellata quae ad Jaffnensem dioecesim pertinet, cedenda erit. Altera vero dioecesis Trincomaliensis scilicet e provincia « Batticaloa » nec non e districtu vulgo « Tamankaduwa » a Jaffnensi dioecesi separandis, efformabitur. Quum vero ob locorum conditionem singularum illarum dioecesium limites accuratius in praesens definiri commode non possint, Apostolica eadem Nostra auctoritate, vi praesentium, decernimus ac statuimus, ut convocatis a Delegato Apostolico Ceylanae Insulae Episcopis, praefata confinium quaestio, inter eos discutiatur, ita tamen ut postea eorumdem resolutionibus Nostra et Sanctae huius Apostolicae Sedis approbatio, ut vim habeant, accedere debeat. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos

spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXV Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

A. Card. SERAFINI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS NOVA DIOECESIS XYLOPOLITANA
IN FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONALIS STATIBVS
ERIGITVR

—

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, quibus nihil antiquius, quam ut vera fides maiora in dies incrementa capiat, atque in remotas longoque terrarum marisque tractu dissitas gentes divini verbi sonus exeat, quasi sacrarum expeditionum centra, Vicariatus Apostolicos in longinquis regionibus primum constituunt, postea cum in iis christiana res adeo sit valida, ut frequenti fidelium numero polleat, neque piis missionariorum laboribus uberes desint fructus, Vicariatus ipsos ad dioecesium gradum dignitatemque evehere, pro re ac tempore, gestiunt. Hac mente cum Nobis, nullis quidem meritis, investigabili tamen divinae providentiae consilio in hac Beati Petri Cathedra constitutis, Venerabiles Fratres Antistites provinciae ecclesiasticae Oregonopolitanae in foederatis Statibus Americae septentrionalis, in provinciali synodo coadunati, exponendum curaverint

Vicariatum Apostolicum Idahensem, ipsam ad provinciam spectantem, non mediocres postremis hisce annis in catholica fide progressus nactum esse, atque uberiorum fructuum spem in futurum effulgere; ideoque enixas Nobis preces obtulerint ut eumdem dignitate dioecesis augere de benignitate Nostra velimus; Nos omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis fidei propagandae praepositis, certam spem foventes, per Episcopalis sedis erectionem, decus simul ac robur catholico nomini in ea regione accessurum, oblatas hasce preces ultro excipiendas esse existimavimus. Quare motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, supra memorati Apostolici Vicariatus Idahensis loco, novam dioecesim erigimus, cum omnibus et singulis necessariis opportunisque privilegiis. Novae huic dioecesi limites eosdem, quibus Idahensis status definitur, adsignamus; ipsius sedem in Urbe « Boise-City » vulgo appellata constituimus; tandem Xylopolitanae dioecesis nomen illi tribuimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum esse et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de

iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die xxv Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

A. Card. SERAFINI

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
BENEDICTO MARIAE TIT. S. IOANNIS AD PORTAM LATINAM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LANGÉNIEVX
ARCHIEPISCOPO RHEMENSI

RHEMOS

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum grata Nobis semper esse soleant studia et officia tua, tum ea gratissima acciderunt, quae abs te accepimus festam agentes diem patroni caelestis, cuius nomen ab ortu Nobis inditum fuit. Quod profiteris, te paratum esse Nostris optatis impigre, nedum mandatis, obsequi, id credimus ultro; novimus enim experti, te, quoties res tulit, id naviter praestitisse. Neque vero ambigimus, quin a te et Clero, cui praees, plurimi fiat, prout scribis, paterna sollicitudo qua patriam vestram complectimur, vobisque in votis sit ut istic cuncti monitis pareant Nostris, dissidiis sublatis, veterique omni simultate deposita. Hinc facile perspicimus, vobis non minus quam Nobis acerbam

quorumdam pervicaciam accidere, qui cupiditatibus malunt indulgere suis, quam Nostro audientes dicto ea peragere in quibus, uti scite memoras, religionis decus et solida gentis prosperitas continetur. Verum non ideo Nostra in patriam vestram elanguescent studia aut absistemus incepto; eique potius conquerendum erit, filiorum quorumdam pietatem, quam paternam sollicitudinem et caritatem Nostram sibi defuisse. Deum interea, cuius in manu corda sunt hominum, rogantes ut animos, qui obsistunt adhuc, ad suasiones Nostras excipiendas inclinet, teque et omnes, qui tecum concordiam diligunt, pacis et gaudii sui iucunditate perfundat, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, Clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
AVGVSTINO EPISCOPO SANGALLENSI

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Agnovimus libenter ex officiosis litteris, quas cum aliis sacrorum Antistibus, qui in Helvetia sunt, ad Nos dedisti, annuum conventum a vobis actum fuisse; cuius rei gerendae studium, optatis Nostris apprime congruens, frugiferum ac salutare dioecesibus vestris confidimus extiturum. Gratulationes vestras pro quinquagennalibus episcopatus Nostri, quae Dei sospitatoris ope celebravimus, utpote ex intimo ac sincero animi affectu expressas, benigne admodum complexi sumus; iisque cumulari persensimus gaudium, quod Nobis fideles attulerunt. qui istinc profecti, sua Nobis studia coram testari voluerunt. — Quae de Friburgensi Athenaeo scripsistis deque cura a vobis collata ut in dies magis magisque floreat, ea Nos delectarunt magnopere; nam quum in praesens, falsae cuiusdam scientiae nomine, catholica oppugnetur religio,

nihil aptius confert ad decus eius tuendum, quam solidae scientiae instructus ac praesidium. — Interim propitiam adprecantes conatibus vestris divini numinis opem, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, aliisque Helveticarum ecclesiarum Praesulibus, nec non Clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
IACOBO TIT. S. MARIAE TRANSTIBERIM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSI
BALTIMORAM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum proximo Octobri mense auspicata sit reditura dies, qua ante annos quinque et viginti episcopali ordine auctus fuisti, cum tua erga Nos studia, tum mutua Nostra in te voluntas, postulant, ut sensus tibi aperiamus intimae gratulationis, qua huius rei eventum, Nobis non minus quam tibi iucundum, prosequimur. Dum autem tecum gratias agimus sospitatori Deo, qui te hactenus servavit incolumem, supplices illi adhibemus preces, ut quod Nobis hoc anno benigne praestitit, idem et tibi clementer indulgeat. Interim tibi faustae diei, quam celebraturus es, mnemosynon mittimus, quod Nostram simul in te benevolentiam testetur. Omnia insuper felicia ac salutaria adprecantes, tibi, dilecte fili

Noster, clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxx Augusti MDCCCXCIII. Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
PHILIPPO TIT. S. CHRYSOGONI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KREMENTZ
ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Officia litterarum, quibus Nos prosequi voluisti una cum aliis sacrorum Antistitibus Borussici Regni, tecum Fuldam congressis, tam grata extitere Nobis, quam quae gratissima. Mirifice enim confirmabant vestram, quam noveramus, in hanc Sanctam Sedem observantiam, sensibusque explicatis communis gratulationis vestrae, gaudium augebant quod cepimus e quinquagennalibus episcopatus Nostri, feliciter hoc anno celebratis. Novum insuper indicium in iis litteris perspeximus studii, quo contenditis Nostris desideriis obsequi, fraternam inter vos retinere cum mutua caritate concordiam, et, consiliis collatis, gregum vobis creditorum saluti prospicere. Propitiam itaque vobis supernam opem et divinarum sedium assistricem sapientiam adprecantes

ex animo, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, ceterisque sacrorum Antistitibus, qui tecum communiter ad Nos dedere litteras, itemque clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXXI Augusti MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD

EPISCOPOS HVNGARIAE

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Constanti Hungarorum in hanc Apostolicam Sedem pietati observantiaeque paterna semper Pontificum romanorum benevolentia mutuo cumulateque respondit; Nosque ipsi praecipuae caritatis providentiaeque testimonia nunquam passi sumus a vobis, a gente vestra desiderari. Istiusmodi vero animum Nostrum singulari quadam ratione patefecimus, cum septem ante annos maximi faustissimique eventus memoriam Hungaria celebravit. Hanc siquidem opportunitatem nacti, epistolam ad vos dedimus, Venerabiles Fratres, in eâque tum avitam Hungarorum fidem, virtutes et clare facta commemoravimus, tum etiam consilia vobiscum de rebus communicavimus, quae ad gentis istius salutem et prosperitatem, per haec tam infensa catholico nomini tempora, pertinere viderentur.

Eadem vero causa idemque propositum Nos modo impellunt ut iterum ad vos perscribamus. — Sane in eo genere rerum, quae omnium animos istic postremo hoc tempore permoverunt, Apostolici officii Nostri ratio postulat, ut vos clerumque vestrum ad animorum constantiam, ad concordiam, ad alacritatem in erudiendis monendisque opportune populis curae vestrae concreditis enixius cohortemur. — Sed alia praeterea sunt apud vos, quae novam sollicitudinis causam Nobis afferunt: pericula intelligimus, quae religioni graviora quotidie impendent. — Haec enimvero, uti praecipuas curas cogitationesque Nostras ad se convertunt, ita maxime operam vestram, Venerabiles Fratres, vehementius efflagitant; eamque valde confidimus consiliis expectationique Nostrae parem omnino futuram.

Quod generatim ad officia catholicorum attinet, tam acri praesertim insidiosaque institutorum christianorum oppugnatione, maiorem in modum oportet ut universi serio naviterque perpendant quanti referat in omni temporum rerumque varietate salvam incolumemque esse in civitate religionem, itemque quantopere intersit perfectam stabilemque hac in re animorum consensionem retineri. Causa nimirum agitur de summo maximoque omnium bonorum, quae est sempiterna hominum salus, neque minus de iis ipsis conservandis tuendisque rebus, quae in civili societate vel ad quietem vel ad veri nominis felicitatem impense expetuntur. — Ita plane excelsi illi viri,

gratissimâque omnis posteritatis memoria digni, sensere, qui in eximium fortitudinis animi exemplum ubique gentium, quavis aetate, mirifice eluxerunt, seseque velut murum pro domo Dei impertierunt; non sua omnia solum, sed et vitam ipsam, religionis Ecclesiaeque causâ, parati profundere. — In quo pariter habet Hungaria vestra domestica exempla, eaque, longo aetatum decursu, et multa et praeclara. Quin immo quod ipsa in catholica fide a Stephano rege et Apostolo suo accepta, fideliter constanterque permanserit, in hoc sane, praeter singulare Dei beneficium, agnoscendus est fructus firmissimi perpetuique gentis istius propositi; quod nempe mature intellexerit, quum de religione ageretur, de gloria nominis, de ipsa incolumitate generis sui causam agi. Mirum vero quam generosas et insignes istiusmodi animorum affectio virtutes aluerit: quarum ope vel in summis temporum difficultatibus magnitudini periculorum non dissimilem Hungari fortitudinis constantiaeque magnitudinem opposuerunt. Earum sane praesidio virtutum, quum iteratas Tartarorum incursiones, tum etiam diuturnos immanesque Mahumedanorum impetus invicti refutarunt: digni sane qui in hoc tam periculoso certamine ab exteris etiam gentibus, a principibus summis, maxime a romanis Pontificibus, omni adiuvarentur subsidio; neque enim de fide tantummodo imperioque Hungarorum, sed de ipsa religione catholica, de Occidentis salute dimicabatur. — Simili ratione recentiorum saeculorum procellas, quae tam graves apud finitimas gentes edidere ruinas, etsi earum violentiam ipsa quoque sensit Hungaria,

iacturasque fecit non sane leves, sospes tamen effugit; effugietque in posterum, si modo suus religioni stet honos, omnesque pernoscant quae sua cuiusque sint quotidiana officia, eaque diligentissime colant.

Atque ut ad ea veniamus, quae propositum Nostrum propius attingunt, haud mediocri profecto animi dolore perspeximus, praeter ea quae in Hungariae legibus, uti alias conquesti sumus, « cum Ecclesiae iuribus « discrepant et eius facultatem agendi minuunt ac pro« fessioni catholici nominis officiunt [1] », et alia fuisse postremis hisce annis vel publica auctoritate decreta vel acta, haud minus sane Ecclesiae ipsi reique catholicae perniciosa: eo autem qui nunc est communium rerum vestrarum cursu, valde pertimescendum, ne longe graviora eveniant religioni damna. — Iamvero, quod nominatim pertinet ad ea rerum capita, quae ferventius apud vos proximo hoc tempore agitata sunt, vestrum est, Venerabiles Fratres, studiose concorditerque dare operam, ut omnes tum sacerdotes tum laici apprime agnoscant quid sibi liceat et a quo cavere debeant, ne contra naturalis divinaeque legis offendant praescripta. Et quoniam plerique vestrum de iis ipsis rebus animarum curatores iusserunt Apostolicae Sedis iudicium, a vobismetipsis perrogatum, expectare, vestrum iam erit, Venerabiles Fratres, eosdem sacrorum administros sedulo admonere ut religioni habeant ne minimum quidem ab iis discedere quae

[1] Epist. Encycl. ad Episcopos Hung. die XXII Aug. MDCCCLXXXVI.

Apostolica Sedes vel statuerit vel praeceperit: quod autem sacerdotibus non liceat, planum est ne laicis quidem hominibus illud licere. — Ceterum ad prohibendam plurimorum malorum vim, permagni ponderis est, ut animarum curatores nunquam desistant multitudinem commonere, ut ab ineundis cum alienis a catholico nomine coniugiis, quantum fieri possit, abstineant. Probe intelligant fideles, notatumque animis habeant, ab eiusmodi coniugiis, quae semper Ecclesia detestata est, ex eo maxime esse abhorrendum, uti Nos ipsi alio loco ediximus [1], « quod occa-« sionem praebent vetitae societati et communicationi « rerum sacrarum; periculum religioni creant coniugis « catholici; impedimento sunt bonae institutioni libero-« rum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum re-« ligionum aequam habere rationem assuescant, sublato « veri falsique discrimine ».

Sed avitae Hungarorum religioni maiora impendent, uti monuimus, damna. Quotquot istic sunt inimici catholici nominis non dissimulant profecto quid velint: nimirum, armis omnibus ad nocendum aptioribus, illud assequi ut Ecclesia resque catholica in deteriorem quotidie conditionem compellantur. Vos itaque, Venerabiles Fratres, vehementius quam unquam alias hortamur, nulli ut labori parcatis, quo tantum periculum a grege vobis commisso, a patria vestra propulsetis. — Illud imprimis curate atque efficite ut universi, exemplo et auctoritate vestra

[1] Litt. Encycl. *de Matrimonio christiano,* an. MDCCCLXXX.

confirmati, religionis causam fortes et animosi suscipiant, firmiter tueantur. Profecto, haud raro accidit, neque enim reticebimus id quod est, ut nonnulli inter catholicos, quo tempore maxime deberent virtute constantiâque summa eniti in tuendis vindicandisque Ecclesiae iuribus, specie quadam humanae prudentiae ducti, vel in diversa abeant, vel nimis in actione timidos remissosque se praebeant. Atqui facile perspicitur, istiusmodi agendi rationem periculis sane gravissimis aditum patefacere, praesertim si de iis agatur qui vel auctoritate polleant vel in opinionibus multitudinis plurimum possint. Praeter enim quam quod officium deseritur iustum ac debitum, haud levis plerumque offensionis affertur causa, et via intercluditur ad eam obtinendam servandamque concordiam, quae facit ut omnes idem sentiant, idem suo facto comprobent. Qua sane re, catholicorum scilicet vel desidiâ vel dissensione, nihil potest inimicis catholici nominis optatius contingere: haec nempe illuc, quo proclive est, crebrius evadunt, ut inimicis ipsis liberum expeditumque ad peiora audenda locum relinquant. Oportet sane omnibus in rebus consilii prudentiam temperantiamque habere comites; Ecclesia ipsa vult in defensione veritatis consultam adhiberi agendi rationem: nihil tamen a germanae prudentiae legibus tam alienum, quam committere ut religio impune vexetur, populi salus in discrimen adducatur.

Cum vero ad firmandam concordiam, aeque ac ad actuosam catholicorum hominum solertiam excitandam, mire

efficacem salutaremque vim habeant, uti experiendo patet, annui eorumdem conventus, in quibus de re catholica, de piorum operum omnis generis incremento, Episcoporum ductu atque auspiciis, communia consilia conferuntur; ideo vehementer optamus ut ea naviter perficiantur, quae vosmet non multo ante, hac super re, opportune providisse cognovimus. Neque enim dubitamus, conventus eiusmodi, qui ut aliis quoque in locis haberentur valde Nos auctores fuimus, rationibus vestris magnopere profuturos. — In eo etiam sedulo vos prospicere decet, ut in legumlatorum coetus ii viri spectatae religionis probataeque virtutis cooptentur, qui animum gerant tenacem propositi, videlicet ad Ecclesiae reique catholicae iura vindicanda promptum semper atque alacrem. — Videtis praeterea, Venerabiles Fratres, tum ephemeridum tum librorum ope, in id acriter incumbere qui ab Ecclesia dissident, ut errorum perversarumque opinionum venena late spargant in vulgus, mores bonos corrumpant, atque ab actione vitae christianae multitudinem abducant. Intelligant igitur homines vestri, tempus iam esse conari aliquid maius in hoc genere, omnique ratione efficere ut scripta scriptis opponantur, quae magnitudini certaminis paria existant, atque idonea malis remedia suppeditent.

Maxime vero, Venerabiles Fratres, studia vestra in puerorum atque adolescentium institutione fixa et locata esse volumus. Mens Nobis non est ea iterare, quae iam in iisdem ad vos litteris, initio commemoratis, exposuimus: facere tamen non possumus quin nonnulla, quae

gravioris momenti sunt, breviter attingamus. — De primordiorum scholis, instandum urgendumque est, Venerabiles Fratres, ut curiones ceterique animarum curatores summo in eas studio continenter evigilent, maximasque ponant officii sui partes in alumnis sacra doctrina erudiendis. Tale vero munus, nobile atque grave, ne alienae procurationi permittant, sed ipsi sibi assumant habeantque carissimum, cum certum sit a sana piaque puerilis aetatis institutione, non familiarum solum, sed rei ipsius publicae incolumitatem magnam partem pendere. Neque industriam solertiamque putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior ut scholae eiusmodi laeta quotidie incrementa capiant. Illud valde opportunum fuerit, in unaquaque Dioecesi *Inspectores* scholarum et *dioecesanum* et *decanales* constitui, quibuscum quotannis Episcopi de scholarum statu et conditione, immo et de ceteris rebus ad fidem, ad mores, ad animarum curam pertinentibus, consilia conferant. Quod si necesse sit ut vel novae instituantur, pro locorum ratione, scholae, vel ut iam conditae amplificentur, minime dubitamus quin vestra, Venerabiles Fratres, multis iam explorata argumentis, itemque catholicorum hominum ex omni ordine liberalitas prompta sit et generosa adfutura.

De mediis vero, ut aiunt, deque maiorum disciplinarum scholis, perstudiose cavendum ne bona illa velut semina in animos puerorum infusa, misere in adolescentibus pereant. Quantum igitur vel agendo vel rogando potestis, tantum contendite, Venerabiles Fratres, ut eius-

modi pericula vel amoveantur vel minuantur: imprimisque pastoralis solertia vestra in eo valeat, ut praelectionibus de religione tradendis probi deligantur doctique viri, utque eae removeantur causae, quae salutarem atque uberem earumdem fructum nimis saepe impediunt. — Ceterum, etsi Nobis bene cognitae sunt probataeque curae a vobismetipsis collatae ut istae studiorum optimorum sedes, quae ex auctorum mente in Ecclesiae atque Episcoporum potestate esse debent, tales perseverent, quales ab ipsis constitutae, maiorem tamen in modum vos hortamur, ut omni oblata opportunitate in idipsum pergatis communi consilio, uti vestrum ius est et officium, incumbere. Quod enim dissentientibus a catholico nomine concessum est, aequitati pariter iustitiaeque repugnat id catholicis denegari: publice autem refert, ut quae a maioribus tam pie sapienterque instituta sunt, non in Ecclesiae fideique catholicae detrimentum, sed in utriusque tutelam ac praesidium, atque adeo in ipsius rei publicae bonum, perpetuo adhibeantur.

Hoc denique officii Nostri ratio exposcit, ut ea vobis impensissime commendemus, quae de adolescentibus clericis, de presbyteris in eis ipsis litteris habuimus commendata. — Profecto si vestrum est, Venerabiles Fratres, plurimum consilii atque operae in recte instituenda omni iuventute ponere, multo vos magis in iis elaborare necesse est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, ut nempe et sacerdotii honore digni sint et muneribus eius rite obeundis aptam pro temporibus virtutem praeseferant. In quo quum prae-

cipuas vigilantiae vestrae partes iure sibi vindicent sacra Seminaria, alacriore in dies studio contendite ut optimis ea institutis floreant, abundentque adiumentis iis omnibus quae necessaria sunt; ita sane ut, delectorum moderatorum disciplinâ, ad mores, ad virtutes sui ordinis proprias, atque ad decus omne doctrinae, vel divinae vel humanae, sacrorum alumni mature optimeque excolantur.

Quod vero ad fructuosam Cleri vestri actionem pertinet, hoc huius maxime est temporis, ut vestra, Venerabiles Fratres, sive in eo dirigendo concordia, sive in hortando monendoque solertia et caritas, sive in tuenda ecclesiastica disciplina firmitas officii eluceat singularis. — Vicissim quotquot sunt ex ordine cleri necesse est ut Episcopis suis summa cum fide adhaerescant, eorum excipiant monita, consilia et coepta adiuvent; in perfunctione autem munerum sacrorum, in laboribus pro salute hominum sempiterna suscipiendis promptos semper alacresque, caritate duce, sese impertiant. — Cum vero in omnes partes plurimum possint sacerdotum exempla, imprimis studeant, semetipsos vivam virtutis et continentiae formam oculis christiani populi constanter exhibere. Caute vero videant, ne civilium vel politicarum rerum studiis plus nimio se dedant; illudque saepe Pauli Apostoli meminerint: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus: ut ei placeat, cui se probavit* [1]. Certe, exteriorum providentiam, monente S. Gregorio Magno, in internorum

[1] II. Tim. II, 4.

sollicitudine rectum est non relinquere: nominatimque quum de religione tuenda aut de communi bono provehendo agitur, non sunt profecto ea negligenda praesidia atque adiumenta quae tempus vel locus afferat. Summâ tamen prudentiâ vigilantiaque opus est, ne scilicet gravitatem modumque transiliant sacri ordinis viri, et minus ipsi caelestia quam humana curare videantur. Aptissime idem Gregorius M.: « Saecularia itaque negotia « aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam vero « ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de caelestibus « mergant »[1]. — Illud etiam volumus, excitari a vobis qui curiis praesunt, ut ecclesiarum suarum *peculium* religiose custodiant diligentissimeque administrent: si qua vero et hoc in genere minus recta insederint, vos item aptam curationem pro munere admovete. — Praeterea valde opportunum censemus, studiosam a Clero conferri curam, ut quae istic sunt Sodalitates seu Confraternitates laicae in pristinum decus revirescant. Nempe de ea re agitur, quae non minus earumdem Sodalitatum, quam publicum spectet religionis bonum. Ut enim cetera omittamus, plurimum sane adiumenti vobis cleroque vestro talia Sodalitia afferre possunt quum in excolendo ad pietatem, ad christianam vitam populo, tum etiam in firmanda salutari illa, quam tantopere expetimus, animorum voluntatumque consensione.

[1] Reg. Pastor. p. II, c. VII.

Demum de iis omnibus, quae vel ad religionis fideique avitae tutelam, vel ad institutorum catholici nominis incrementum, vel etiam ad Cleri utriusque disciplinam pertinent, optimum sane saluberrimumque fore arbitramur, Venerabiles Fratres, si consilia identidem inter vos conferre consueveritis, ea communi iudicio decreturi, quae vel necessaria vel magis opportuna dignoveritis.

Futurum confidimus ut universi ex Hungaria catholici homines, tam plenâ periculi rerum suarum inclinatione perspecta, atque in his omnibus, quae diximus, paternae Nostrae sollicitudinis studiosissimaeque erga ipsos voluntatis testimonium recognoscentes, animum viresque sumant; omnique, uti par est, religione consiliis monitisque Nostris obtemperent. Vobis autem, Venerabiles Fratres, itemque clero populoque catholico, una velut mente unoque animo pro religione strenue adlaborantibus, aderit propitius Deus, maximeque felicem coeptis vestris virtutem impertiet. Nec deerit profecto in causa sanctissima iustissimaque summi Principis benevolum ac propensum studium, Apostolici inquimus Regis vestri, cuius vel ab initiis principatus sui late perspecta sunt in gentem vestram promerita.

Quo autem omnia secundum vota ac prospere cedant, magnas ad Deum preces et ipsi Nobiscum adhibete, Venerabiles Fratres: potissime patrocinium interponite augustae Dei Genitricis; tum etiam implorate fidem sancti Stephani Apostoli vestri, ut e caelo Hungariam suam be-

nignus respiciat, in eaque divinae beneficia religionis sancte inviolateque conservet. — Caelestium vero munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque vestro universo, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die II Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ADOLFO EPISCOPO AVGVSTODVNENSI
SVMMO MODERATORI CONGREGATIONIS ORATORII
AVGVSTODVNVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quo afficiatur in Nos obsequio et pietate Congregatio insignis, cui praees, testis luculentissima perlata est epistola tua, data communi nomine. In qua duo praecipue dileximus et collaudamus: alacre animarum propositum ad Constitutiones disciplinae vestrae, quas Nosmetipsi non ita pridem probavimus, diligenter sancteque custodiendas; incensum porro studium iuvandae Ecclesiae, in varia munerum perfunctione, quae vestri sunt instituti. Utrumque sane optimum: tum dignum praestantissimis eis viris, a quibus spiritum cum ipsa disciplina quasi hereditate accepistis, tum peraptum aetatis rationi, quae virtutem a Clero desiderat, quam alias unquam, egregie actuosam. — Nos vero, si decessoribus Nostris, quos Congregationi

vestrae admodum propensos commemorastis, nihil omnino cedimus in rebus vestris fovendis, item atque illi uberiorem in dies fructum providentiae caritatisque Nostrae expectamus. Sic vos, Domini Nostri Iesu Christi adiuvante gratia, ab omni temporum offensione integros tueamini; sic vos reapse, ut polliciti estis, *operarios inconfusibiles* in omnibus officiis exhibeatis: hoc Nos adhortatione votisque vehementer contendimus. — Ad te proprie quod attinet, Venerabilis Frater, singularis benevolentiae Nostrae testimonia habuisti non pauca: accedat nunc volumus haec ipsa epistola, ad gratulationem sollertis operae, quam nuper eidem Congregationi in conventu magno praestitisti, summus Moderator eius, decreto Nostro, perpetuus. Spes autem Nos tenet certissima, fore ut, qua virtute eximia iamdudum regis et ornas ecclesiam tuam, eâdem pergas Congregationem ipsam, cuius esse alumnus tantopere gaudes, omni laude florentem provehere. — Iam tibi et omnibus Oratorii sodalibus, ut expetiisti, Apostolicam benedictionem effusa caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Septembris MDCCCXCIII. Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE ENCYCLICAE

DE

ROSARIO MARIALI

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Laetitiae sanctae, quam Nobis annus quinquagesimus ab episcopali consecratione feliciter plenus adduxit, pergrata nimirum ex eo fuit accessio, quod omnes, per universitatem catholicarum gentium, non secus ac filios pater, consortes habuerimus, fidei et amoris significatione pulcherrima. In quo nova semper cum gratia agnoscimus et praedicamus Dei providentis consilium, et summe in Nosmetipsos benevolum et Ecclesiae suae haud leviter profuturum; neque minus avet animus, eiusdem beneficii optimam apud Deum conciliatricem, Matrem eius augustam, salutare laudibus et efferre. Huius quippe eximia caritas, quam diuturno varioque aetatis spatio sensimus Ipsi multis modis praesentem, praesentior in dies ante oculos fulget, atque animum suavissime afficiens, fiduciâ

non humana confirmat. Caelestis Reginae vox ipsa exaudiri videtur, Nos benigne tum erigentis in asperrimis Ecclesiae temporibus, tum consilii copiâ ad instituta communis salutis proposita adiuvantis, tum etiam admonentis ut pietatem omnemque virtutis cultum in christiano populo excitemus. Talibus respondere optatis iam pluries antehac iucundum Nobis sanctumque fuit. In fructibus autem qui hortationes Nostras, ipsa auspice, sunt consecuti, dignum est quod commemoremus. perampla religioni sacratissimi eius *Rosarii* allata esse incrementa; hanc in rem sodalitiis quoque piorum qua auctis qua constitutis, scriptis docte opportuneque in vulgus editis, ipsis elegantiorum artium nobilissimis ornamentis inductis. — Nunc vero perinde ac si eamdem studiosissimae Matris excipiamus vocem, qua urgeat, *Clama, ne cesses,* rursus de mariali Rosario vos alloqui libet, Venerabiles Fratres, appetente octobri; quem mensem esse ei devotum, acceptissimo eiusdem Rosarii ritu, censuimus, tributis sacrae indulgentiae praemiis. Oratio tamen Nostra non eo proxime spectabit ut addamus, vel laudem precationi ex se praestantissimae, vel fidelibus stimulos ad eam sanctiore usu colendam; verum de nonnullis dicemus lectissimis bonis, quae inde hauriri possunt, temporum et hominum rationi maxime opportunis. Sic enim Nobis persuasissimum est, religionem Rosarii, si tam rite colatur, ut vim insitam virtutemque proferat suam, utilitates, non singulis modo, sed omni etiam reipublicae esse maximas parituram.

Nemo est quem fugiat, quantum Nos, pro supremi

Apostolatus munere. ad civile bonum conferre studuerimus, ac porro parati simus, sic Deus adsit, conferre. Nam, qui imperio potiantur, eos saepe monuimus, ne perferant leges per easque agant, nisi ad normam aequissimam divinae Mentis; cives autem, qui ceteris, sive ingenio, sive partis meritis, sive nobilitate fortunisque antecellant, crebro adhortati sumus ut, consiliis collatis et viribus, res maximas potissimasque civitatis tueantur et provehant. — Sed vero nimis multa sunt, quibus, ut modo est civilis consociatio, publicae disciplinae vincula infirmentur, atque populi a iusta morum honestate persequenda abducantur. Iam Nobis tria praecipue videntur teterrima in communis boni perniciem: ea sunt, *modestae vitae et actuosae fastidium; horror patiendi; futurorum, quae speramus, oblivio.*

Querimur Nos, ipsique fatentur ultro ac dolent qui omnia revocant ad naturae lumen et utilitatem, vulnus humanae societati, idque vehemens, ex eo infligi, quod officia virtutesque negliguntur, quae genus vitae exornant tenue et commune. Hinc enimvero, in domestica consuetudine debitam naturâ obedientiam a liberis detrectari proterve, omnis impatientibus disciplinae, nisi si quae est voluptaria et mollis. Hinc opifices suis se artibus removere, defugere labores, nec sorte contentos, altiora suspicere, improvidam quamdam expetentes aequationem bonorum: similia multorum studia, ut, natali rure relicto, urbium rumores capiant effusasque illecebras. Hinc inter ordines civitatum aequilibritas nulla; nutare omnia, animos simultatibus in-

vidiaque torqueri, ius conculcari palam, eos denique, qui spe sint falsi, per seditionem et turbas publicam tentare pacem, iisque obsistere quorum est illam tutari. — Contra haec curatio petatur a Rosario mariali, quod simul certo precum ordine constat et pia mysteriorum Christi Servatoris et Matris commentatione. Nempe *gaudiorum mysteria* probe et ad vulgus enarrentur, ac, veluti picturae quaedam imaginesque virtutum, in oculis hominum constituantur: perspiciet quisque, quam ampla inde quamque facilis, ad vitam honeste componendam, offeratur documentorum copia, mira animos suavitate allicientium. — Obversatur Nazarethana domus, terrestre illud divinumque sanctimoniae domicilium. Quantum in ea quotidianae consuetudinis exemplar! quae societatis domesticae omnino perfecta species! Simplicitas ibi morum et candor; animorum perpetua consensio; nulla ordinis perturbatio; observantia mutua; amor denique, non ille fucatus et mendax, sed qui officiorum assiduitate integre vigens, vel oculos intuentium rapiat. Illic datur quidem studium ea parando quae suppeditent ad victum et cultum; id vero *in sudore vultus*, et ut ab eis, qui, parvo contenti, potius agant ut minus egeant, quam ut plus habeant. Super haec omnia, summa tranquillitas mentis, par animi laetitia; quae duo recte factorum conscientiam nunquam non comitantur. — Quarum exempla virtutum, modestiae nimirum ac demissionis, laborum tolerantiae et in alios benevolentiae, diligentiae tenuium officiorum quae sunt in quotidiana vita, cetera demum exempla, simul at-

que concipiantur sensim animis alteque insideant, sensim profecto in eis optata consiliorum morumque mutatio eveniet. Tum sua cuique munera, nequaquam despecta erunt et molesta, sed grata potius et delectabilia: atque, iucunditate quadam aspersa, enixius ad probe agendum conscientia officii valebit. Ex eo mores in omnes partes mitescent; domestica convictio in amore et deliciis erit; usus cum ceteris plus multo habebit sincerae observantiae et caritatis. Quae quidem, ex homine singulari, si late in familias, in civitates, in universum quempiam populum traducantur, ut ad haec instituta moderentur vitam; quanta inde reipublicae emolumenta sint obventura, apertum est.

Alterum, sane funestissimum, in quo deplorando nimii nunquam simus, eo quia latius in dies deteriusque inficiat animos, illud est, recusare dolorem, adversa et dura acriter propulsare. Pars enim hominum maxima tranquillam animorum libertatem non iam sic habent, ut oportet, tamquam praemium iis propositum qui virtutis fungantur munere, ad pericula, ad labores invicti: sed commentitiam quamdam civitatis perfectionem cogitant, in qua, omni ingrata re submota, cumulata sit delectationum huius vitae complexio. Porro ex tam acri effrenataque beate vivendi libidine proclive est ut ingenia labefactentur; quae, si non penitus excidunt, at enervantur tamen, ut vitae malis abiecte cedant miserabiliterque succumbant. — In hoc etiam discrimine, plurimum quidem opis ad spi-

ritus roborandos (tanta exempli auctoritas est) ex mariali Rosario expectari licet; si *dolentia*, quae vocantur, *mysteria*, vel a primis puerorum aetatulis, ac deinceps assidue, tacita suavique contemplatione versentur. Videmus per ea Christum, *auctorem et consummatorem Fidei* nostrae, *coepisse facere et docere;* ut, quae genus nostrum de laborum dolorumque perpessione docuisset, eorum in ipso exempla peteremus, et ita quidem ut, quaecumque difficiliora perpessu sunt, ea sibi ipse toleranda magna voluntate susceperit. Moestitia videmus confectum, usque eo ut sanguine totis artubus, veluti sudore, manaret. Videmus vinculis, latronum more, constrictum; iudicium pessimorum subeuntem; diris contumeliis, falsis criminibus impetitum. Videmus flagellis caesum; spinis coronatum; suffixum cruci; indignum habitum qui diu viveret, dignum qui succlamante turba periret. Ad haec, Parentis sanctissimae aegritudinem reputamus, cuius *animam doloris gladius*, non attigit modo, sed *pertransivit*, ut mater dolorum compellaretur et esset. — Virtutis tantae specimina qui crebra cogitatione, non modo oculis, contempletur, quantum ille profecto calebit animo ad imitandum! Esto ei quidem *maledicta tellus et spinas germinet ac tribulos*, mens aerumnis prematur, morbis urgeatur corpus; nullum erit, sive hominum invidiâ, sive irâ daemonum, invectum malum, nullus publicae privataeque calamitatis casus, quae non ille evincat tolerando. Hinc illud recte, *Facere et pati fortia christianum est;* christianus etenim, quicumque habeatur merito, Christum patientem non subsequi nequaquam potest. Pa-

tientiam autem dicimus, non inanem animi ostentationem ad dolorem obdurescentis, quae quorumdam fuit veterum philosophorum; sed quae, exemplum ab illo transferens *qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* [1], ab ipsoque opportuna gratiae exposcens auxilia, perpeti aspera nihil renuat atque etiam gestiat, perpessionemque, quantacumque ea fuerit, in lucris ponat. Habuit catholicum nomen, ac sane habet, doctrinae huius discipulos praeclarissimos, complures ubique ex omni ordine viros et feminas, qui, per vestigia Christi Domini, iniurias acerbitatesque omnes pro virtute et religione subirent, illud Didymi, re magis quam dicto, usurpantes: *Eamus et nos, et moriamur cum eo* [2]. — Quae insignis constantiae facta etiam atque etiam multiplicentur splendide, unde praesidium civitati, Ecclesiae virtus augescat et gloria!

Tertium malorum caput, cui quaerenda est medicina, in hominibus maxime apparet aetatis nostrae. Homines enim superiorum temporum, si quidem terrestria, vel vitiosius, adamabant, fere tamen non penitus aspernabantur caelestia: ipsi ethnicorum prudentiores, hanc nobis vitam hospitium esse, non domum, commorandi diversorium, non habitandi, datum docuerunt. Qui nunc vero sunt homines, etsi christiana lege instituti, fluxa praesentis aevi

[1] Hebr. XII, 2.
[2] Ioann. XI, 16.

bona plerique sic consectantur, ut potiorem patriam in aevi sempiterni beatitate, non memoria solum elabi, sed extinctam prorsus ac deletam per summum dedecus velint; frustra commonente Paullo: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* [1]. Cuius rei explorantibus causas, illud in primis occurrit, quod multis persuasum sit, cogitatione futurorum caritatem dirimi patriae terrestris reique publicae prosperitatem convelli: quo nihil profecto odiosius, ineptius nihil. Etenim non ea sperandarum natura est rerum, quae mentes hominum sibi sic vindicent, ut eas a cura omnino avertant praesentium bonorum; quando et Christus regnum Dei edixit quaerendum, primum id quidem, at non ut cetera praeteriremus. Nam usura praesentium rerum, quaeque inde honestae habentur delectationes, si virtutibus vel augendis vel remunerandis adiumento sunt: item, si splendor et cultus terrenae civitatis, ex quo mortalium consociatio magnifice illustratur, splendorem et cultum imitatur civitatis caelestis; nihil est quod rationis participes dedeceat, nihil quod consiliis adversetur divinis. Auctor est enim naturae Deus idemque gratiae; non ut altera alteri officiat atque inter se digladientur, sed ut amico quodam foedere coeant, ut nempe, utraque duce, immortalem illam beatitatem, ad quam mortales nati sumus, faciliore veluti via, aliquando contingamus. — At vero homines voluptarii, sese unice amantes, qui cogitationes suas omnes in res caducas humiliter abii-

[1] Hebr. XIII, 14.

ciunt, ut se tollere altius nequeant, ii, potius quam a bonis quibus fruantur aspectabilibus aeterna appetant, ipsum plane amittunt aeternitatis aspectum, ad conditionem prolapsi indignissimam. Neque enim divinum Numen graviore ulla poena multare hominem possit, quam quum illum blandimenta voluptatum, bonorum sempiternorum immemorem, omni vita consectari permiserit. — A quo tamen periculo ille profecto aberit qui, pietate Rosarii usus, quae in illo proponuntur *a gloria mysteria*, attenta repetet frequentique memoria. Mysteria etenim ea sunt, in quibus clarissimum christianis mentibus praefertur lumen ad suspicienda bona, quae, etsi obtutum oculorum effugiunt, sed certa tenemus fide praeparasse Deum *diligentibus se.* Docemur inde, mortem, non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed migrationem commutationemque vitae. Docemur, omnibus in caelum cursum patere; quumque illo Christum cernimus remeantem, reminiscimur felix eius promissum: *Vado parare vobis locum.* Docemur, fore tempus, quum *absterget Deus omnem lacrimam ab oculis nostris,* et *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra;* sed *semper cum Domino erimus, similes* Dei, *quoniam videbimus eum sicuti est; poti torrente voluptatis eius, Sanctorum cives,* in magnae Reginae et Matris beatissima communione. — Haec autem considerantem animum inflammari necesse est, atque tum illud iterare Viri sanctissimi: *Quam sordet tellus, dum caelum aspicio!* tum eo uti solatio, quod *momentaneum et leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus ope-*

ratur in nobis. Enimvero una haec est ratio praesentis temporis cum aeterno, terrestris civitatis cum caelesti apte iungendae; hac una educuntur fortes animi et excelsi. Qui quidem, si magno numero censeantur, dignitas et amplitudo stabit civitatis; florebunt quae vera, quae bona, quae pulchra sunt, ad normam illam expressa quae omnis veritatis, bonitatis, pulcritudinis summum est principium et fons perennis.

Iam videant omnes, quod principio posuimus, quarum sit utilitatum fecunda marialis Rosarii virtus, et quam mirifice possit ad temporum sananda mala, ad gravissima civitatis damna prohibenda. — Istam vero virtutem, ut facile cognitu est, illi praecipue uberiusque percepturi erunt qui cooptati in sacra Rosarii Sodalitia, peculiari et inter se fraterna coniunctione et erga sanctissimam Virginem obsequio prae ceteris commendantur. Haec enim Sodalitia, auctoritate romanorum Pontificum comprobata, ab eisque donata privilegiis et muneribus indulgentiae, suo palam ordine ac magisterio reguntur, conventus statis habent temporibus, praesidiis optimis instruuntur quibus sancte vigeant et ad commoda etiam societatis humanae conducant. Haec sunt veluti agmina et acies, praelia Christi per sacratissima eius mysteria pugnantes, auspice et duce Regina caelesti: quorum illa supplicationibus, ritibus, pompis quam adsit propitia, praeclare omni tempore patuit, magnifice ad Echinadas. — Magno igitur

studio in talibus Sodalitiis condendis, amplificandis, moderandis par est contendere et eniti, non unos inquimus alumnos Dominici Patris, quamquam illi ex disciplina sua debent summopere, sed quotquot praeterea sunt animarum curatores, in sacris praesertim aedibus ubi illa iam habentur legitime instituta. Atque etiam Nobis maxime in votis est, ut qui sacras expeditiones ad Christi doctrinam, vel inter barbaras gentes invehendam vel apud excultas confirmandam obeunt, hac item in re elaborent. — Ipsis omnibus hortatoribus, minime dubitamus, quin multi e Christifidelibus animo alacres futuri sint, qui tum eidem Sodalitati dent nomen, tum eximie studeant bona intima, quae exposuimus, assequi, illa nimirum quibus ratio et quodammodo res Rosarii continetur. Ab exemplo autem Sodalium maior quaedam reverentia et pietas erga ipsum Rosarii cultum ad ceteros manabit fideles: qui ita excitati, ampliores impendent curas ut, quod Nobis desideratissimum est, eorumdem salutarium bonorum copiam abunde participent.

Haec Nobis igitur praelucet spes, hac ducimur atque in tantis reipublicae damnis valde recreamur: quae ut plena succedat, ipsa exorata efficiat Rosarii inventrix et magistra, Dei et hominum Mater, Maria. Fore autem vestrâ omnium opera, Venerabiles Fratres, confidimus, ut documenta et vota Nostra ad familiarum prosperitatem, ad pacem populorum et omne bonum eveniant. — Interea divinorum munerum auspicem ac benevolentiae Nostrae testem, vobis singulis et clero populoque ve-

stro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
DOMINICO EPISCOPO ARIMINENSI
ARIMINVM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Praeclare quidem illud apud vos, paucis ante mensibus, fuit, quum, iam desperatis siccitate frugibus, ingens ad multa millia populus, vivida fide actus, supplicantis ritu in civitatis luce procederet, opem enixe implorans sanctissimae Dei Genitricis, ad eam ipsam aram, eiusdem testem beneficii religiosis patribus pluries collati. Haec Nos magna animi consolatione accipientes, pari simul gaudio accepimus quam propitia Illa arrisisset votis; cuius potenti prece fecundis imbribus impetratis, spes vestrae et arva feliciter revixerunt. Maxime autem in eo delectati sumus et delectamur, quod est Nobis compertum, ex isto Virginis beneficio fructus provenisse in animis vere solidos vereque optabiles, religionis, honestatis, christianae vitae: quos gratia sua conservet Deus et bonus multiplicet. — Nunc,

Venerabilis Frater, quoniam pro eximia sollertia tua ad Nos retulisti, studia universi cleri et populi in benignissimam Matrem ita exardescere, ut sacra gratiarum sollemnia singulari apparatu et cultu sint propediem celebraturi, omnino placet communis istic pietatis laetitiaeque Nos quoque esse participes, eamque copia munerum divinorum augere. Quo consilio tibi facimus potestatem, ut eo festo die, ritu pontificali peracto, clero populoque, nomine et auctoritate Nostra, salutariter a Deo preceris, admissorum plenâ indulgentia, de more praescriptoque Ecclesiae, tributa. — Hoc igitur, tamquam peculiaris benevolentiae Nostrae testimonium, optimis filiis impertias: tuque in pastorali procuratione plures ab eis quotidie habeas causas laetandi; quod, Apostolica benedictione effusa, intime exoptamus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO
COMITI CAROLO CORINSKY
VINDOBONAM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOBILIS VIR
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Comperimus libenter ex litteris, quas nuper cum aliis egregiis viris, qui sese tibi socios addidere, ad Nos dedisti, opus haud exiguae molis a vobis esse susceptum, quod et Ecclesiae decus et patriae vestrae utile ornamentum erit allaturum. Renuncias enim, vobis in animo esse seriem voluminum conficere quae inscribatur: « *Ecclesia Catholica in Imperio Austro-Hungarico* », iisque libris historiam complecti, nobiliorum artium praesidiis instructam, in qua explicentur quae fuerint in singulis istius Imperii partibus catholicae religionis initia, eiusque ad hanc usque aetatem progressus et incrementa. Rem autem per se amplissimam vobis propositum est non modo generatim exponere, sed etiam persequi enucleate, subiecta historia singularum dioecesium et ordinum religiosorum, qui in hoc Imperio

floruerunt et florent. Quin haec molitio vestra et inceptum vehementer Nobis probetur dubitandum plane non est; Nos imo optamus, ut in aliis quoque regionibus plures existant vestri imitatores studii et laudis aemuli. Illud porro Nobis pergratum accidit, quod pie cupientes Nos demereri, praeclarum opus vestrum auspicari hoc anno volueritis, quo celebravimus quinquagennalia episcopatus Nostri. — Interim vobis aliisque dilectis filiis, quorum adiutrice opera vobis erit utendum, secunda adprecamur divinae sapientiae lumina et gratiae caelestis auxilia, ut vobis feliciter contingat incepta perficere, et fructus laboris ferre quos in opere aggrediendo praecepistis animo et spe. Horum autem bonorum auspicem esse optamus Apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, nobilis vir, et aliis, qui communes tecum ad Nos dedere litteras, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOANNI PETRO ARCHIEPISCOPO BITVRICENSI

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Te Nostri studiosissimum esse quum aliis Nobis compertum fuisset indiciis, tum exploratius extitit ex litteris quas abs te prope exitum Augusti mensis accepimus. Facile exhinc aestimare potes quam suaviter eas legentes affecti simus. Illud vero imprimis Nos delectavit, quod perspeximus te optime intellexisse quae Nostra sit erga illustrem gentem tuam, nedum erga te, paterna caritas et propensa voluntas. Haec sane et palam civibus tuis omnibus saepe iterata scriptione et tibi privatis alloquiis a Nobis fuerat explicata. Itaque iam nemini obscurum vel incertum esse arbitramur consilium Nostrum et mentem in iis edendis actis, quae Gallicam nationem respicerent. Eo nimirum unice spectavimus, ut vulnera consanarentur, quae illi temporum hominumque iniquitate fue-

rant illata, et filiis eius omnibus una esset sententia, ingredi vestigiis maiorum suorum, a quibus fidei constantiâ et religionis studio egregia parta fuerant patriae decora et ornamenta. Atque huius quidem consilii Nostri auctor et suasor unus fuerat amor, quo gentem complectimur tuam, et studium, quo tenemur, ut vera fruatur prosperitate et gloria. — Ceterum solatio, quod cepimus agnoscentes haec animo tuo penitus insidere, nova facta est voluptatis accessio ex eo quod scripsisti, ecclesiasticos viros dioecesis tuae propediem tecum congressuros, coetu frequenti, ut sacris vacent commentationibus, studioque vitae sanctioris. Plane haud Nos latet eorum observantia et fides; plenam autem eorum consensionem cum Antistite suo perbelle prodidere piae sollicitudines, quibus te nuper morbo implicitum sunt prosequuti. Id enimvero sacerdotalis spiritus, qui in iis viget et agit, praeclarum praebet argumentum: quare opportuna tibi in proximo conventu erit occasio eos acuendi ut in sanctis propositis inceptisque permaneant, studioque in dies alacriore incumbant ad partes integre religioseque explendas praenobilis ministerii sui. Illos etiam atque etiam cohortare, ne a solidae scientiae praesidiis necessarium seiungant instructum virtutum quae decent dispensatores mysteriorum Dei, quarum qui sunt expertes inanem aut paene sterilem dant operam sacerdotalibus muniis obeundis. Quod porro tempus ipsum monet, cura ut pericula considerate perpendant quae patriae imminent ex pravis doctrinis invalescentibus et increscente ardore ad agendum in iis, qui

nova moliuntur ad pessimam humanae societatis, nedum civitatis suae, perniciem. Adversus mala, quae exhinc impendent, unicum ac certum salutis praesidium in Ecclesia est eiusque administris. Quamobrem prorsus necesse est ut clerus studium omne et laborem conferat quo lapsos erigat, nutantes confirmet, periclitantes communiat. Praeprimis vero eum conniti oportet ut catholicae veritatis lumen omnibus civitatis ordinibus affulgeat, cunctorum ad normam divinae legis componantur mores, iustitia floreat quae elevat gentes et, quoad eius fieri potest, deleatur, quod miseros facit populos, peccatum. — Auspicem interea caelestis gratiae, quae feraces labores vestros fructuum optimorum efficiat, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, praedicto clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO

ANTONIO BRVGIDOV SACERDOTI

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ad cetera benevolentiae testimonia, tibi a Nobis saepius tributa, publicum hoc visum est adiicere, quo studium collaudemus, et tuum in primis, et eorum complurium, qui, Episcopis adhortantibus, contulere stipem, ad aedem in hac Alma Urbe excitandam, honori Sancti Ioachimi, Patroni Nostri caelestis. Tale consilium et factum valde Nobis non una de causa commendatur. Primum, quod ex eo videmus exurgere peropportunum praesidium in ampla Urbis regione, quae Nos adeo contingit ut sit sub oculis Nostris, ad christianam colendam institutionem et divinum cultum provehendum. Tum etiam quod in ipso constituenda sit veluti primaria sedes *Sodalitii ab Adoratione Reparatrice gentium catholicarum*, quod, a te conditum, Nosmetipsi anno MDCCCLXXXII probavimus et auximus indulgentiis: in quo quidem moderando certas deinde leges

dabimus. ut nempe omnibus aeque nationibus pateat uberiusque proficiat. Accedit praeterea, quod hoc ipsum templum, ex insigni catholicorum in Nos pietate, quasi testis extare debeat singularis beneficii a Deo Nobis ipsis collati, ut annum quinquagesimum honoris episcopalis incolumes expleverimus. — Tu igitur, dilecte fili, insiste alacer operi, quod ad divinae gloriae incrementa admodum sane conducet. Nobisque acceptissimum est: ita insiste, ut, quod vehementer optamus, hoc ipso auspicato Nobis anno exeunte, nobile templum adductum sit ad fastigium. Cui desiderio Nostro responsuram plane confidimus pientissimam fidelium liberalitatem, quae ab infimis ad maiores iam praeclara enituit, quaeque animi Nostri gratiam tenet devinctam. — Interim benevolentiam Nostram et exploratam de te fiduciam confirmantes, Apostolicam benedictionem tibi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
MICHAËLI RVA SACERDOTI
RECTORI MAIORI PIAE SOCIETATIS S. FRANCISCI SALESII
AVGVSTAM TAVRINORVM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Societati vestrae, cuius tu, recenti epistola, et gratulantis pietatem exhibuisti, et Deo laborantis renuntiasti progressus, perlibenter Nos paterni animi significationem tribuimus. Magna quidem Deo habenda est laus, quo excitante et ducente, insignis ille Sacerdos, vestrae auctor Familiae, tam multa, tamque utilia in eius nominis gloriam, in commoda iuventutis, in salutem animarum molitus est feliciterque tota vita perfecit. Id vero maiore in dies cum gratia praestari decet, eo quod eiusdem viri spiritus, in te atque in Societate universa integer vigens, ad nova semper properet benefacta, quibus res sacra et civilis optime adiuventur. Nosmetipsi, quantum vestro in hanc Apostolicam Sedem obsequio delectemur et quantum ope-

rae vestrae confidamus, saepius patefecimus, maxime quum alias vobis provincias inter exteras gentes pro auctoritate credidimus, ad christianam fidem itemque ad humanum cultum, ut instituistis alacres, adducendas. — De ceteris autem vestrorum officiorum partibus, praecipue Nos recreant uberes ii fructus, quos late habetis in iuventute excolenda; dum quotidie pericula ingravescunt, quibus aetas credula et mollis miserrime cingitur et conflictatur. Quapropter illud etiam gratissimum est, amplam vos domum in hac ipsa urbe, continentem aedi Sacro Cordi Iesu a vobis ipsis dicatae, nuperrime absolvisse, in qua liceat multos litteris et artificiis, et, quod caput est, religione et moribus recte probeque instruere. Huic igitur coepto, et ceteris consiliis laboribusque Societatis, omnis auspex et effector boni adsit Deus et faveat: a quo Nos tibi in primis, dilecte fili, atque sodalibus universis, sacrisque Virginibus eiusdem Societatis, eisque cunctis qui vobiscum quoquo modo conferunt operam, Apostolicam benedictionem magna caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ANDREAE FRÜHWIRTH MAGISTRO GENERALI
ORDINIS PRAEDICATORVM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum plurimi a Nobis fiat eorum industria, qui praenobilem rerum divinarum scientiam impigre colunt aliosque docent, facile aestimare potes, quae Nostra sint studia erga facultatem theologicam Atenaei catholici Friburgensis, quam ad nutum Apostolicae Sedis regendam credidimus sodalibus e religiosa familia, cui praesides. Nequeunt autem Nostra haec studia a desiderio seiungi, quod eo spectat, ut ea facultas aliis atque aliis floreat incrementis, maiorique in dies frequentia celebretur clericorum illuc affluente e cunctis Helvetiae dioecesibus. Quare libenter admodum agnovimus consilium esse initum, ut Hospitium amplificetur paratum studiosis rei theologicae, qui communi utuntur convictu, ducibus et moderatoribus religiosis sodalibus tuis, illudque novis muniatur praesidiis ad spem

firmioris diuturnitatis. Equidem intelligimus, ex ea re, si iuxta vota obtigerit, ingentes obventuros fructus ad sacrarum disciplinarum studia istic provehenda. Scimus enim optime de iis meritos esse sodales tuos, quibus solemne fuit et est eas explicare iuxta rationem a D. Thoma Aquinate traditam: quare certum Nobis est, eorum peritiam et sedulitatem eo uberiores daturam fructus, quo latius sese explicare potuerit. Itaque et initum consilium probamus vehementer, et multa dignos censemus laude quum eos qui operi efficiendo strenue manus admoverint, tum eos qui illud favore prosequentes, operam contulerint copiasve suas. Istis propterea non secus ac tibi, dilecte fili, et religiosae familiae, cui praees, peculiari caritatis affectu largitatem adprecamur caelestium munerum, horumque auspicem Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOSEPHO ARCHIEPISCOPO RHEDONENSI

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gratae Nobis vehementer litterae fuerunt, quas pridie Nonas Iunias ad Nos dedisti cum Venerabili Fratre Episcopo Andegavensi aliisque sacrorum Antistitibus aliorumque delegatis, qui vobiscum Andegavum convenerant ut, collatis consiliis, deliberatio fieret de iis, quae ad tuendam fovendamque spectant catholicam studiorum universitatem Andegavi constitutam. Nec vero levem voluptatem cepimus ex iis, quae a vobis scripta sunt de bonis quae ope istius Athenaei in occidentales Galliae regiones promanarunt, deque studio, quo flagratis, ut illud maiora in dies habeat incrementa, laetioremque efferat salutarium fructuum ubertatem. Equidem quod alias testati sumus iterum confirmamus, nihil Nobis esse antiquius, quam ut illustre hoc Gymnasium vigeat, stabili prosperitate floreat, multosque sui studiosos nanciscatur, qui ope et liberalitate

sua certatim contendant illud amplificare ac provehere. Quum itaque Nobis in animo sit omnem illi benevolentiam praestare in iis potissime, quae ad honestatem eius et commoda spectant, benignas praebuimus aures consilio a vobis proposito, ut dioeceses tres e Britannia minori, Venetensis, Briocensis et Corisopitensis, quas hactenus commune societatis vinculum iis coniunxit, per quas catholicae studiorum universitati Parisiensi prospicitur, exhinc vobis adhaereant vestrisque accenseantur, quarum collatis opibus Andegavense Athenaeum sustentatur. Equidem huic consilio vestro annuere libentes parati sumus, si modo feliciter obtingat, ut eae, quae obsistunt, difficultates valeant amoveri, prout optamus et fore confidimus. Proinde ea super re opportunis monitis instrui curavimus Nuncium Nostrum Apostolicum Lutetiae degentem. — Interim pignus dilectionis Nostrae et divinae benignitatis auspicem, Apostolicam benedictionem tibi aliisque praedictis Venerabilibus Fratribus et dilectis filiis, qui communiter ad Nos dedere litteras, nec non clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXX Septembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

CHIROGRAPHVM

QVO NONNVLLA STATVVNTVR DE SANITATE IN AEDIBVS VATICANIS TVENDA

LEO PP. XIII.

Fu sempre cura dei romani Pontefici tutelare con savie disposizioni la salute pubblica degli Stati della Chiesa, massime della città di Roma. E queste disposizioni, accuratamente applicate dagli Archiatri Pontificî, provvedevano bene anche alla sanità ed all' igiene dei Sacri Palazzi Apostolici.

Ma dacchè le mutate vicende hanno sventuratamente ridotto il Sommo Pontefice a vivere racchiuso nell'angusta cerchia del Vaticano, una condizione eccezionale è creata ai Sacri Palazzi, per la quale, anche dal lato igienico e sanitario, si fa sentire maggiore il bisogno di una speciale assistenza e di una più oculata sorveglianza.

Infatti il concentramento degli ufficî della Corte e del personale addetto al servizio ed alla custodia del Sommo Pontefice ha notabilmente aumentato il numero degli abitanti in Vaticano; la singolare pietà dei fedeli, desiderosi

di rendere omaggio al Padre comune, moltiplicando i pellegrinaggi, ha reso inevitabili i frequenti agglomeramenti di gente di ogni ceto e la celebrazione di qualche solenne funzione in luoghi talvolta troppo angusti e poco adatti; l'affluenza dei visitatori che accedono ai Musei, alla Biblioteca, agli Archivî, dischiusi ora agli studiosi di ogni nazione, è sensibilmente cresciuta. E tutto questo cumulo di circostanze nuove esige una vigilanza straordinaria, per apprestare con prontezza in qualsiasi caso i necessarî soccorsi sanitarî, per impedire qualunque importazione di germi infettivi entro l'ambito dei Palazzi Apostolici, e per mantenere la salubrità del Vaticano con tutti i presidî e le cautele suggerite dall'arte salutare.

Mossi da tali considerazioni, già da parecchi anni affidammo ai Nostri Archiatri l'incarico d'invigilare, nel miglior modo possibile, a che il servizio medico chirurgico e farmaceutico e l'assistenza igienica dei Sacri Palazzi Apostolici fossero fatti in maniera soddisfacente.

Ma volendo ora stabilmente provvedere a questo bisogno, abbiamo deliberato d'istituire, e in virtù del presente Chirografo istituiamo in Vaticano un particolare Ufficio di direzione per l'assistenza sanitaria e l'igiene dei Sacri Palazzi Apostolici e dei luoghi che ad essi appartengono, e vogliamo che quest'ufficio sia governato da apposito Statuto organico e relativo Regolamento, sotto la dipendenza di un capo che possa in ogni evenienza rispondere di quanto riguarda la salubrità dei SS. PP. AA. e dei luoghi che da essi dipendono.

Il presente Chirografo in doppio originale dovrà essere conservato nei rispettivi Archivî dei Protonotarî Apostolici e della Prefettura dei SS. PP. AA.

Dato a Roma presso S. Pietro il giorno 1 di Ottobre 1893, del Pontificato Nostro Decimosesto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS DIOECESES MANGALORENSIS ET TRICHINOPOLITANA
A PROVINCIA PONDICHERIENSI SEIVNGVNTVR
ET TAMQVAM SVFFRAGANEAE
ECCLESIASTICAE PROVINCIAE BOMBAYENSI
AGGREGANTVR

LEO PP. XIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices, quibus nihil antiquius, quam ut in universum terrarum orbem Christiani nominis sonus exeat, quae rei sacrae procurationi melius gerendae faciant, pro re ac tempore, decernere gestiunt. Hoc consilio, quum, inspectis novis rerum adiunctis, ut provinciae ecclesiasticae Indiarum orientalium, per similes Apostolicas Litteras die VII Iunii mensis anno MDCCCLXXXVII constitutae, aptiori quodam ordine distribuerentur, peropportunum visum fuerit dioeceses Mangalorensem et Trichinopolitanam a provincia Pondicheriensi, ad quam pertinebant, seiungere, easque Bombayensi provinciae ecclesiasticae, tamquam suffraganeas, aggregari; Nos, omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Car-

dinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, de Fratrum eorumdem consilio, quae infrascripta sunt decernenda censuimus. Itaque, motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praesentium vi, derogatis, quas ante recensuimus, Litteris Nostris, dioeceses Mangalorensem et Trichinopolitanam a provincia Pondicheriensi, ad quam modo pertinent, seiungimus, easque tamquam suffraganeas ecclesiasticae provinciae Bombayensi aggregamus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die II Octobris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

Pro Domino CARDINALI SERAFINI

NICOLAVS MARINI *Substitutus*

EPISTOLA

DILECTO FILIO
LVDOVICO SCHÜLLER
AB INTIMO CVBICVLO NOSTRO

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exemplaria voluminis ad explicandam doctrinam fidei a te decies editi, eiusque epitomae, quae obsequiosis ornata litteris Nobis obtulisti, volenti animo complexi sumus. Gaudemus equidem ea ultro usurpari in pluribus Italiae dioecesibus, eorumque usum in dies magis vulgari. Id mirifice Nostris respondet optatis, quippe non levem opportunitatem habet. Quum enim saepe variis de causis fideles in alias dioeceses migrare cum liberis cogantur, non satis apte religiosae puerorum institutioni prospicitur, si alii in aliis dioecesibus adhibeantur libri, ad quorum normam sacrae doctrinae tradendae ratio exigatur; erit autem longe commodissimum si dioeceses omnes exemplum sequantur Urbis, quae et libros probavit tuos et discentibus aptos experta agnovit. — Tuam itaque

industriam merita prosequentes laude, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIII Octobris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

AD

EPISCOPOS HISPANIAE

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non mediocri cura vigilantiaque, ut nostis, vixdum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, tueri apud vos atque augere rem catholicam studuimus, in primisque firmare animorum concordiam, et fructuosam Cleri industriam excitare. Nunc vero, eodem quo hactenus studio permoti, adiecimus animum ad Clericos vestros adolescentes, ut, collatis vobiscum consiliis, in eorum institutionem conferamus aliquid operae. — Idque novum velut pignus esse volumus benevolentiae paternae, qua vos universos complecti consuevimus. Et merito quidem: non enim sumus rerum hispanicarum immemores, neque ignoramus vestram in avita fide, in obsequio Apostolicae Sedis summam immotamque constantiam: quae potissimum causa fuit, quamobrem hispanicum nomen in tantam gloriae imperiique magnitudinem creverit, quantam historiae monumenta testantur. Illud etiam memoria tenemus, nec silebi-

mus hoc loco, multa Nobis atque optabilia acerbitatum solatia ex Hispania saepe suppetere. Pergratum igitur est, officiorum vestrorum caritati respondere mutuo.

Diu multumque floruit Clerus hispanus rerum divinarum scientia litterarumque elegantia; hisque artibus assecutus est ut rem christianam nomenque patrium non parum et ipse proveheret. Haud sane defuere munifici viri, qui, optimarum artium patrocinio suscepto, congrua temporibus subsidia praeberent; nec defuere ingenia ad theologicas, ad philosophicas disciplinas, nedum ad litteras excolendas apte comparata. Ad haec amplificanda studia doctrinae novimus quantum contulerit Regum Catholicorum liberalitas, quantum opera atque instantia Episcoporum. His porro incitamenta omne genus adiecit Apostolica Sedes, quae id perpetuo studuit, ut sanctitati morum christianorum nec philosophiae lumen, nec politioris humanitatis deesset nitor. Quo in genere insigne vobis quasi patrimonium gloriae transmisere viri cum paucis comparandi, *Franciscus Suarez*, *Ioannes Lugo*, *Franciscus Toletus*, nominatim vero *Franciscus Ximenes*, qui ductu auspiciisque Pontificum romanorum potuit ad illam doctrinae praestantiam contendere, qua non modo Hispaniam, sed universam illustravit Europam, praesertim constitutis studiis illis Complutensibus, quibus edocti iuvenes *in Dei Ecclesia sapientiae splendore, tamquam stellae matutinae coruscantes, in veritatis via ceteros illuminare possent* [1]. Ex ea segete tam scite naviterque

[1] Alexander VI, Bulla *Inter cetera*, Idibus Aprilis 1499.

exculta, cohors illa extitit doctorum illustrium, qui a romano Pontifice atque a Rege Catholico ad Synodum Tridentinam invitati, utriusque expectationem egregie implevere. Neque vero mirum est, tot Hispaniam tantosque tulisse viros; siquidem praeter naturalem ingeniorum vim, praesidia atque instrumenta praesto erant aptissima, quorum ope studiorum ratio perficeretur. Satis est magna Lycea recordari Complutense et Salmanticense, quae sane, advigilante Ecclesia, praeclara christianae sapientiae domicilia extitere. Quorum recordatio sponte coniungitur cum memoria Collegiorum, quae ecclesiasticis viris ingenio sciendique cupiditate praestantibus communem sedem commodum praebuere.

At vero habetis ante oculos, Venerabiles Fratres, posteriorum temporum cladem. In iis rerum publicarum fluctibus, qui superiore atque hoc ipso volvente saeculo, totam perturbarunt Europam, quasi procelloso impetu deiecta ac stirpitus divulsa sunt Instituta, quibus ad fidei doctrinaeque incrementa condendis, regia simul et ecclesiastica potestas curas opesque contulerant. Sublatis ita catholicis studiorum Universitatibus earumque Collegiis, ipsamet Seminaria clericorum exaruere, sensim ea deficiente doctrinae copia, quae ex magnis Gymnasiis effluebat: praeterea nec tenere antiquum potuere statum per bella intestina et turbas, quae aliquandiu civium studia viresque distraxerunt. Adfuit in tempore Apostolica Sedes, animumque studiose adiecit, civili potestate consentiente, ad res ecclesiasticas componendas, quas praegressa tempestas afflixerat; potissima

vero eius cura fuit de Seminariis dioecesanis, quae quidem quasi domicilia pietatis atque eruditionis in statum pristinum restitui, privatim ac publice intererat. Vobis tamen exploratum est, rem non omnino cessisse ex sententia. Neque enim sat amplae suppetebant opes: neque ratio studiorum poterat in spem gloriae reflorescere, quia Lyceorum veterum interitus penuriam idoneorum magistrorum genuerat. — Convenit quidem inter duas supremas potestates, ut quibusdam in provinciis Seminaria conderentur *generalia*, potestate facta ut ex eorum alumnis, qui plenius theologica arripuissent, ii ad gradus academicos more maiorum admitterentur. Id tamen quominus reapse perficeretur, multa impedimento fuere, hodieque sunt. — Erepto igitur Lyceorum veterum praesidio, multa desiderantur ex adiumentis iis, sine quibus ad expletam cumulatamque eruditionis laudem aspirare Clerus difficile potest, ita ut una sit prudentium vox et sententia, accedere ad rationem studiorum in Seminariis perfectius quiddam et cumulatius oportere. — Atqui id maxime Nobis curae est, praesertim exempla decessorum Nostrorum intuentibus, qui nullum praetermisere locum favendi studiis optimis. In eo autem vel maxime eluxit Pontificum excellens providentia, quod in hanc ipsam Urbem, principem catholici nominis, adolescentes clericos peregre arcessere atque in Collegia congregare studuerint, idque maiore cura quoties aut adiumenta studiorum ipsis in patria deessent, aut sanitas institutionis, publice repudiata Ecclesiae vigilantia, periclitaretur. Hac de causa complura Romae condita

Ephebea, quo confluere solent ad sacra instituendi adolescentes exteri, eo videlicet proposito ut quas in Urbe collegerint ingenii animique opes, eas aliquando, sacerdotio initiati, in communem conferant popularium suorum utilitatem. Qua ex re cum abunde salutares fructus extiterint, existant, omnino Nosmetipsos operae pretium iudicavimus facturos, si eiusmodi domiciliorum numerum augeremus: propterea que suum Armeniis Collegium, suum Bohemis in Urbe aperuimus: Maroniticum vero ut ad pristinam dignitatem revocaretur, curavimus.

In hac peregrinorum adolescentium frequentia id aegre ferebamus, quod alumni non ita multi numerarentur e civibus vestris. Quamobrem speratae utilitatis cogitatione, consilium cepimus efficere, ut urbanum clericorum hispaniensium collegium, quod non ita pridem piorum sacerdotum sapiens industria fundavit, non modo stabile permanere, sed ad incrementa properare queat. Placet igitur ut, quotquot ex Peninsula Iberica proximisve insulis in ditione sitis Regis catholici, in illud convenerint, sint in tutela Nostra: communique utentes convictu, lectorum moderatorum disciplina, eis studiis operentur, quae exquisitius animum ingeniumque perficiunt. Opportunam operi sedem domumque praebituras arbitramur aedes urbanas, a Ducibus *Altemps*, prioribus dominis, nuncupatas, proprio nunc iure Nostras et Apostolicae Sedis: eo vel magis quod illae a sacrario *Aniceti* Pontificis Martyris, cuius ibidem sacri cineres quiescunt, itemque a memoria commorationis *Caroli Borromei* nobilitantur. Earum igitur

aedium usum atque usumfructum concedimus et attribuimus Collegio Episcoporum Hispaniae, hac lege ut iis utantur ad accipiendos tuendosque suarum Dioeceseon clericos, si quos studiorum caussa, uti diximus, huc mittendos decreverint. Quo vero cogitata citius efficiantur, pariterque tempus instruendis aedibus ceterisque rebus apparandis necessarium suppetat, coeant interea clerici in certam idoneamque partem aedium illustris familiae *Altieriae*. — Archiepiscopos autem Toletanum et Hispalensem designamus, qui Nobiscum et cum successoribus Nostris de negotiis Collegii gravioribus agant; ob eamque caussam praecipimus, ut is qui Collegio praeest, de re familiari, de disciplina moribusque alumnorum quotannis cum ad sacrum Consilium Nostrum studiis regundis, tum ad Archiepiscopos supra dictos scripto referat, iique ad Collegas suos, Hispaniae episcopos, referendum curabunt. — Modo vestrum est, Venerabiles Fratres, Nostra haec incepta adiuvare, exequi: idque alacritate et industria tanta, quantam et res flagitat, et episcopales virtutes vestrae pollicentur. — Interea Apostolicam benedictionem, praecipuae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, itemque Clero et fidelibus vigilantiae vestrae concreditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv Octobris anno MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

REGIAE CELSITVDINI

MAGNO PRINCIPI REGIONIS MYSORE

LEO PP. XIII.

REGIA CELSITVDO

SALVTEM

Nobile munus, quo Regia Celsitudo Tua donare Nos voluit quinquagesimum Episcopatus annum explentes, ea, qua par erat. benevolentia excepimus. Huic autem muneri maiorem accedere gratiam decusque intelleximus ex litteris humanissimis, quae non minus gratulationem Tuam ob auspicatum eventum concinne expromebant, quam egregiam erga Nos voluntatem. Quare Tibi dubitandum non est, quin ea Nostra sint in Te studia qualia esse decet in Virum Principem, eximiis ornatum animi dotibus, qui tam honorifice et liberaliter ultro demereri Nos voluit. Dum itaque Tibi pro exhibitis officiis gratias habemus et agimus plurimas, prospera et salutaria omnia Regiae Celsitudini Domuique Tuae adprecamur ex animo.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Novembris MDCCCXCIII. Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
COMITI CAROLO CLARY ALDRINGEN PRAESIDI
ET CONSILIO DIOECESANO
SODALITATIS S. MICHAËLIS ARCHANGELI VINDOBONAE

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Experti saepe ac testati sumus singulare studium, quo Sodalitas vestra incumbit ad ea praestanda, quae ratio postulat instituti sui, Sanctam hanc Sedem complectens omnibus, quibus potest, eximiae pietatis officiis. Illud porro vestram cumulat laudem, quod pia haec alacritas neque decursu temporis remissa fuerit, neque increscente rerum asperitate. Quum itaque nunquam Nobis vestra defuerint studia in adserendis iuribus tuendisque rationibus huius Apostolicae Sedis, vicissim Nos curare decet ne vobis Nostra desit commendatio, quae vestris erga Nos meritis haud impar sit, simulque vestros erigat animos, quo magis, constanter et impigre, in nobilibus perstent inceptis. Atque ut iustae huic commendationi testimonium aliud paternae

Nostrae voluntatis accedat, te, dilecte fili, illustris sodalitatis Praesidem, cuius zelo et industria maiore in dies laude floret rerum optimarum, Equitem primae classis Ordinis S. Gregorii Magni renunciare decrevimus, cuius honoris testes litteras curabimus ad te quamprimum deferri. Summum interea rogantes Deum, ut meritissimum coetum vestrum ope sua tegat, favore amplificet, omnique prosperitate fortunet, Apostolicam benedictionem tibi et Consilio tibi adsidenti, sociisque vestris universis et singulis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Novembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

LITTERAE ENCYCLICAE

DE

STVDIIS SCRIPTVRAE SACRAE

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Providentissimus Deus, qui humanum genus, admirabili caritatis consilio, ad consortium naturae divinae principio evexit, dein a communi labe exitioque eductum, in pristinam dignitatem restituit, hoc eidem propterea contulit singulare praesidium, ut arcana divinitatis, sapientiae, misericordiae suae supernaturali via patefaceret. Licet enim in divina revelatione res quoque comprehendantur quae humanae rationi inaccessae non sunt, ideo hominibus revelatae, *ut ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint, non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem* [1]. Quae *supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem*, continetur tum *in sine scripto*

[1] Conc. Vat. *sess.* III, *cap.* II, *de revel.*

traditionibus, tum etiam *in libris scriptis,* qui appellantur sacri et canonici, eo quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt* [1]. Hoc sane de utriusque Testamenti libris perpetuo tenuit palamque professa est Ecclesia: eaque cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse, quae canonica nominatur [2], eamdemque esse oracula et eloquia divina [3], litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas [4]. Iam, tanta quum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur, eam quoque partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur, excellentiae et utilitatis esse quam maximae. — Nos igitur, quemadmodum alia quaedam disciplinarum genera, quippe quae ad incrementa divinae gloriae humanaeque salutis valere plurimum posse viderentur, crebris epistolis et cohortationibus provehenda, non sine fructu, Deo adiutore, curavimus, ita nobilissimum hoc sacrarum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates

[1] *Ibid.*

[2] S. Aug. *de civ. Dei* XI, 3.

[3] S. Clem. Rom. I ad Cor. 45; S. Polycarp. ad Phil. 7; S. Iren. *c. haer.* II, 28, 2.

[4] S. Chrys. *in Gen. hom.* 2, 2; S. Aug. *in Ps.* XXX, *serm.* 2, 1; S. Greg. M. ad Theod. *ep.* IV, 31.

congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus. Movemur nempe ac prope impellimur sollicitudine Apostolici muneris, non modo ut hunc praeclarum catholicae revelationis fontem tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis patere velimus, verum etiam ut eumdem ne patiamur ulla in parte violari, ab iis qui in Scripturam sanctam, sive impio ausu invehuntur aperte, sive nova quaedam fallaciter imprudenterve moliuntur. — Non sumus equidem nescii, Venerabiles Fratres, haud paucos esse e catholicis, viros ingenio doctrinisque abundantes, qui ferantur alacres ad divinorum Librorum vel defensionem agendam vel cognitionem et intelligentiam parandam ampliorem. At vero, qui eorum operam atque fructus merito collaudamus, facere tamen non possumus quin ceteros etiam, quorum sollertia et doctrina et pietas optime hac in re pollicentur, ad eamdem sancti propositi laudem vehementer hortemur. Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant.

Hoc enimvero studium cur tantopere commendandum videatur, praeter ipsius praestantiam atque obsequium verbo Dei debitum, praecipua causa inest in multiplici utilitatum genere, quas inde novimus manaturas, sponsore cer-

tissimo Spiritu Sancto: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* [1]. Tali sane consilio Scripturas a Deo esse datas hominibus, exempla ostendunt Christi Domini et Apostolorum. Ipse enim qui « miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem [2] », ad sacras Litteras, in divinae suae legationis munere, appellare consuevit: nam per occasionem ex ipsis etiam sese a Deo missum Deumque declarat; ex ipsis argumenta petit ad discipulos erudiendos, ad doctrinam confirmandam suam; earumdem testimonia et a calumniis vindicat obtrectantium, et Sadducaeis ac Pharisaeis ad coarguendum opponit, in ipsumque Satanam, impudentius sollicitantem, retorquet; easdemque sub ipsum vitae exitum usurpavit, explanavitque discipulis redivivus, usque dum ad Patris gloriam ascendit. — Eius autem voce praeceptisque Apostoli conformati, tametsi dabat ipse *signa et prodigia fieri per manus eorum* [3], magnam tamen efficacitatem ex divinis traxerunt Libris, ut christianam sapientiam late gentibus persuaderent, ut Iudaeorum pervicaciam frangerent, ut haereses comprimerent erumpentes. Id apertum ex ipsorum concionibus, in primis Beati Petri, quas, in argumentum firmissimum praescriptionis novae, dictis ve-

[1] II. Tim. III, 16-17.
[2] S. Aug. *de util. cred.* XIV, 32.
[3] Act. XIV, 3.

teris Testamenti fere contexuerunt; idque ipsum patet ex Matthaei et Ioannis Evangeliis atque ex Catholicis, quae vocantur, epistolis: luculentissime vero ex eius testimonio qui « ad pedes Gamalielis Legem Moysi et Prophetas se didicisse gloriatur, ut armatus spiritualibus telis postea diceret confidenter: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo*[1] ». — Per exempla igitur Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint divinae Litterae, et quo ipsi studio qua religione ad idem veluti armamentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo, summo et perfectissimo bono, deque operibus gloriam caritatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulatior copia vel amplior praedicatio. De Servatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quae in universo habentur Bibliorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus, « ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi[2] »: ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans, imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur. Ad Ecclesiam vero quod attinet, institutio, natura, munera, charismata eius tam crebra ibidem mentione occurrunt, tam multa

[1] S. Hier. *de studio Script.* ad Paulin. *ep.* LIII, 3.
[2] *In Is., Prol.*

pro ea tamque firma prompta sunt argumenta, idem ut Hieronymus verissime edixerit: « Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiae[1] ». Quod si de vitae morumque conformatione et disciplina quaeratur, larga indidem et optima subsidia habituri sunt viri apostolici: plena sanctitatis praescripta, suavitate et vi condita hortamenta, exempla in omni virtutum genere insignia; gravissima accedit, ipsius Dei nomine et verbis, praemiorum in aeternitatem promissio, denunciatio poenarum.

Atque haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille, *non loquitur in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa*[2]. Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enuntiant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei[3], eamdemque longe abesse ab

[1] *In Is.* LIV, 12.
[2] I Thess. I, 5.
[3] Ierem. XXIII, 29.

illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus* [1]. Quamquam, hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit diserteque arguit [2], atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo affirmarunt.

Quae omnia Ss. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enimvero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium [3], vel perennes fontes salutis [4], vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur [5]. Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum: « Divinas Scripturas saepius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce quod doceas.... sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit [6] »; convenitque sen-

[1] Hebr. IV, 12.

[2] *De doctr. chr.* IV, 6, 7.

[3] S. Chrys. *in Gen., hom. 21, 2; hom. 60, 3;* S. Aug. *de discipl. chr.* 2.

[4] S. Athan. *ep. fest. 39.*

[5] S. Aug. *serm. 26, 24;* S. Ambr. *in Ps.* CXVIII, *serm. 19,* 2.

[6] S. Hier. *de vit. cleric.* ad Nepot.

tentia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum Ecclesiae descripsit munera: « Necesse est, inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant [1] ». — Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere, « Verbi Dei inanem esse forinsecus praedicatorem, qui non sit intus auditor [2] », eumque ipsum Gregorium sacris concionatoribus praecipientem, « ut in divinis sermonibus, priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant [3] ». Sed hoc iam, ab exemplo et documento Christi, qui *coepit facere et docere*, vox apostolica late praemonuerat, non unum allocuta Timotheum, sed omnem clericorum ordinem, eo mandato: *Attende tibi et doctrinae, insta in illis; hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* [4]. Salutis profecto perfectionisque et propriae et alienae eximia in sacris Litteris praesto sunt adiumenta, copiosius in Psalmis celebrata; iis tamen, qui ad divina eloquia, non solum mentem afferant docilem atque attentam, sed integrae quoque piaeque habitum voluntatis. Neque enim eorum ratio librorum similis atque communium putanda est; sed, quoniam sunt ab ipso Spiritu Sancto dictati, resque gravissi-

[1] S. Greg. M., *Regul. past. II, 11* (*al.* 22); *Moral.* XVIII, *26* (*al. 14*).

[2] S. Aug. *serm. 179, 1.*

[3] S. Greg. M., *Regul. past. III, 24 (al. 48).*

[4] I. Tim. IV, 16.

mas continent multisque partibus reconditas et difficiliores, ad illas propterea intelligendas exponendasque semper eiusdem Spiritus « indigemus adventu [1] », hoc est lumine et gratia eius: quae sane, ut divini Psaltae frequenter instat auctoritas, humili sunt precatione imploranda, sanctimonia vitae custodienda.

Praeclare igitur ex his providentia excellit Ecclesiae, quae, *ne caelestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret* [2] », optimis semper et institutis et legibus cavit. Ipsa enim constituit, non solum magnam eorum partem ab omnibus suis ministris in quotidiano sacrae psalmodiae officio legendam esse et mente pia considerandam, sed eorumdem expositionem et interpretationem in ecclesiis cathedralibus, in monasteriis, in conventibus aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possint, per idoneos viros esse tradendam; diebus autem saltem dominicis et festis solemnibus fideles salutaribus Evangelii verbis pasci, restricte iussit [3]. Item prudentiae debetur diligentiaeque Ecclesiae cultus ille Scripturae sacrae per aetatem omnem vividus et plurimae ferax utilitatis. — In quo, etiam ad firmanda documenta hortationesque Nostras, iuvat commemorare quemadmodum a religionis christianae initiis, quotquot sanctitate vitae rerumque

[1] S. Hier. *in Mich. 1, 10.*

[2] Conc. Trid. *sess.* v, *decret. de reform. 1.*

[3] *Ibid. 1-2.*

divinarum scientia floruerunt, ii sacris in Litteris multi semper assiduique fuerint. Proximos Apostolorum discipulos, in quibus Clementem Romanum, Ignatium Antiochenum, Polycarpum, tum Apologetas, nominatim Iustinum et Irenaeum, videmus epistolis et libris suis, sive ad tutelam sive ad commendationem pertinerent catholicorum dogmatum, e divinis maxime Litteris fidem, robur, gratiam omnem pietatis arcessere. Scholis autem catecheticis ac theologicis in multis sedibus episcoporum exortis, Alexandrina et Antiochena celeberrimis, quae in eis habebatur institutio, non alia prope re, nisi lectione, explicatione, defensione divini verbi scripti continebatur. Inde plerique prodierunt Patres et scriptores, quorum operosis studiis egregiisque libris consecuta tria circiter saecula ita abundarunt, ut aetas biblicae exegeseos aurea iure ea sit appellata. — Inter orientales principem locum tenet Origenes, celeritate ingenii et laborum constantia admirabilis, cuius ex plurimis scriptis et inmenso Hexaplorum opere deinceps fere omnes hauserunt. Adnumerandi plures, qui huius disciplinae fines amplificarunt: ita, inter excellentiores tulit Alexandria Clementem, Cyrillum: Palaestina Eusebium, Cyrillum alterum; Cappadocia Basilium Magnum, utrumque Gregorium, Nazianzenum et Nyssenum; Antiochia Ioannem illum Chrysostomum, in quo huius peritia doctrinae cum summa eloquentia certavit. Neque id praeclare minus apud occidentales. In multis qui se admodum probavere, clara Tertulliani et Cypriani nomina, Hilarii et Ambrosii, Leonis et Gregorii Magno-

rum; clarissima Augustini et Hieronymi: quorum alter mire acutus extitit in perspicienda divini verbi sententia, uberrimusque in ea deducenda ad auxilia catholicae veritatis, alter a singulari Bibliorum scientia magnisque ad eorum usum laboribus, nomine Doctoris maximi praeconio Ecclesiae est honestatus. — Ex eo tempore ad undecimum usque saeculum, quamquam huiusmodi contentio studiorum non pari atque antea ardore ac fructu viguit, viguit tamen, operâ praesertim hominum sacri ordinis. Curaverunt enim, aut quae veteres in hac re fructuosiora reliquissent deligere, eaque apte digesta de suisque aucta pervulgare, ut ab Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino factum est in primis; aut sacros codices illustrare glossis, ut Valafridus Strabo et Anselmus Laudunensis, aut eorumdem integritati novis curis consulere, ut Petrus Damianus et Lanfrancus fecerunt. — Saeculo autem duodecimo allegoricam Scripturae enarrationem bona cum laude plerique tractarunt: in eo genere S. Bernardus ceteris facile antecessit, cuius etiam sermones nihil prope nisi divinas Litteras sapiunt. — Sed nova et laetiora incrementa ex disciplina accessere *Scholasticorum*. Qui, etsi in germanam versionis latinae lectionem studuerunt inquirere, confectaque ab ipsis *Correctoria biblica* id plane testantur, plus tamen studii industriaeque in interpretatione et explanatione collocaverunt. Composite enim dilucideque, nihil ut melius antea, sacrorum verborum sensus varii distincti; cuiusque pondus in re theologica perpensum; definitae librorum partes, argumenta partium; investigata

scriptorum proposita; explicata sententiarum inter ipsas necessitudo et connexio: quibus ex rebus nemo unus non videt quantum sit luminis obscurioribus locis admotum. Ipsorum praeterea de Scripturis lectam doctrinae copiam admodum produnt, tum de theologia libri, tum in easdem commentaria; quo etiam nomine Thomas Aquinas inter eos habuit palmam. — Postquam vero Clemens V decessor Noster Athenaeum in Urbe et celeberrimas quasque studiorum Universitates litterarum orientalium magisteriis auxit, exquisitius homines nostri in nativo Bibliorum codice et in exemplari latino elaborare coeperunt. Revecta deinde ad nos eruditione Graecorum, multoque magis arte nova libraria feliciter inventa, cultus Scripturae sanctae latissime accrevit. Mirandum est enim quam brevi aetatis spatio multiplicata praelo sacra exemplaria, *vulgata* praecipue, catholicum orbem quasi compleverint: adeo per id ipsum tempus, contra quam Ecclesiae hostes calumniantur, in honore et amore erant divina volumina. — Neque praetereundum est, quantus doctorum virorum numerus, maxime ex religiosis familiis, a Viennensi Concilio ad Tridentinum, in rei biblicae bonum provenerit: qui et novis usi subsidiis et variae eruditionis ingeniique sui segetem conferentes, non modo auxerunt congestas maiorum opes, sed quasi munierunt viam ad praestantiam subsecuti saeculi, quod ab eodem Tridentino effluxit, quum nobilissima Patrum aetas propemodum rediisse visa est. Nec enim quisquam ignorat, Nobisque est memoratu iucundum, decessores Nostros, a Pio IV ad

Clementem VIII, auctores fuisse ut insignes illae editiones adornarentur versionum veterum, Vulgatae et Alexandrinae; quae deinde, Sixti V eiusdemque Clementis iussu et auctoritate, emissae, in communi usu versantur. Per eadem autem tempora, notum est, quum versiones alias Bibliorum antiquas, tum polyglottas Antuerpiensem et Parisiensem, diligentissime esse editas, sincerae investigandae sententiae peraptas: nec ullum esse utriusque Testamenti librum, qui non plus uno nactus sit bonum explanatorem, neque graviorem ullam de iisdem rebus quaestionem, quae non multorum ingenia fecundissime exercuerit: quos inter non pauci, iique studiosiores Ss. Patrum, nomen sibi fecere eximium. Neque, ex illa demum aetate, desiderata est nostrorum sollertia; quum clari subinde viri de iisdem studiis bene sint meriti, sacrasque Litteras contra *rationalismi* commenta, ex philologia et finitimis disciplinis detorta, simili argumentorum genere vindicarint. — Haec omnia qui probe ut oportet considerent, dabunt profecto, Ecclesiam, nec ullo unquam providentiae modo defuisse, quo divinae Scripturae fontes in filios suos salutariter derivaret, atque illud praesidium, in quo divinitus ad eiusdem tutelam decusque locata est, retinuisse perpetuo omnique studiorum ope exornasse, ut nullis externorum hominum incitamentis eguerit, egeat.

Iam postulat a Nobis instituti consilii ratio, ut quae his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea

vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere. — Scilicet, ut antea cum iis praecipue res fuit qui privato iudicio freti. divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei; ita nunc est cum Rationalistis, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram, omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta: illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam: evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda. — Huiusmodi portenta errorum, quibus sacrosanctam divinorum Librorum veritatem putant convelli. tamquam decretoria pronuntiata novae cuiusdam *scientiae liberae,* obtrudunt: quae tamen adeo incerta ipsimet habent, ut eisdem in rebus crebrius immutent et suppleant. Quum vero tam impie de Deo, de Christo, de Evangelio et reliqua Scriptura sentiant et praedicent, non desunt ex iis qui theologi et chri-

stiani et evangelici haberi velint, et honestissimo nomine obtendant insolentis ingenii temeritatem. His addunt sese consiliorum participes adiutoresque e ceteris disciplinis non pauci, quos eadem revelatarum rerum intolerantia ad oppugnationem Bibliorum similiter trahit. Satis autem deplorare non possumus, quam latius in dies acriusque haec oppugnatio geratur. Geritur in eruditos et graves homines, quamquam illi non ita difficulter sibi possunt cavere; at maxime contra indoctorum vulgus omni consilio et arte infensi hostes nituntur. Libris, libellis, diariis exitiale virus infundunt; id concionibus, id sermonibus insinuant; omnia iam pervasere, et multas tenent, abstractas ab Ecclesiae tutela, adolescentium scholas, ubi credulas mollesque mentes ad contemptionem Scripturae, per ludibrium etiam et scurriles iocos, depravant misere.— Ista sunt, Venerabiles Fratres, quae commune pastorale studium permoveant, incendant; ita ut huic novae *falsi nominis scientiae* [1] antiqua illa et vera opponatur, quam a Christo per Apostolos accepit Ecclesia, atque in dimicatione tanta idonei defensores Scripturae sacrae exurgant.

Itaque ea prima sit cura, ut in sacris Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinae Litterae, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent. Cuius rei causâ, nihil profecto debet esse antiquius magistrorum delectio-

[1] I. Tim. vi, 20.

ne prudenti: ad hoc enim munus non homines quidem de multis, sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum, atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio. Neque minus prospiciendum mature est, horum postea locum qui sint excepturi. Iuverit idcirco, ubi commodum sit, ex alumnis optimae spei, theologiae spatium laudate emensis, nonnullos divinis Libris totos addici, facta eisdem plenioris cuiusdam studii aliquandiu facultate. Ita delecti institutique doctores, commissum munus adeant fidenter: in quo ut versentur optime et consentaneos fructus educant, aliqua ipsis documenta paulo explicatius impertire placet. — Ergo ingeniis tironum in ipso studii limine sic prospiciant, ut iudicium in eis, aptum pariter Libris divinis tuendis atque arripiendae ex ipsis sententiae, conforment sedulo et excolant. Huc pertinet tractatus *de introductione*, ut loquuntur, *biblica*, ex quo alumnus commodam habet opem ad integritatem auctoritatemque Bibliorum convincendam, ad legitimum in illis sensum investigandum et assequendum, ad occupanda captiosa et radicitus evellenda. Quae quanti momenti sit disposite scienterque, comite et adiutrice theologia, esse initio disputata, vix attinet dicere, quum tota continenter tractatio Scripturae reliqua hisce vel fundamentis nitatur vel luminibus clarescat. — Exinde in fructuosiorem huius doctrinae partem, quae de interpretatione est, perstudiose incumbet praeceptoris opera; unde sit auditoribus, quo dein modo divini verbi divitias

in profectum religionis et pietatis convertant. Intelligimus equidem, enarrari in scholis Scripturas omnes, nec per amplitudinem rei, nec per tempus licere. Verumtamen, quoniam certa opus est via interpretationis utiliter expediendae, utrumque magister prudens devitet incommodum, vel eorum qui de singulis libris cursim delibandum praebent, vel eorum qui in certa unius parte immoderatius consistunt. Si enim in plerisque scholis adeo non poterit obtineri, quod in Academiis maioribus, ut unus aut alter liber continuatione quadam et ubertate exponatur, at magnopere efficiendum est, ut librorum partes ad interpretandum selectae tractationem habeant convenienter plenam: quo veluti specimine allecti discipuli et edocti, cetera ipsi perlegant adamentque in omni vita. Is porro, retinens instituta maiorum, exemplar in hoc sumet versionem vulgatam; quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit [1], atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio praecedentis linguae », suasore Augustino,

[1] *Sess.* IV, *decr. de edit. et usu sacr. libror.*

proficiet [1]. Iamvero per se liquet, quam multum navitatis ad haec adhiberi oporteat, quum demum sit « commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretetur, exponere [2] ». — Post expensam, ubi opus sit, omni industria lectionem, tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae. Primum autem consilium est, ut probata communiter interpretandi praescripta tanto experrectiore observentur cura, quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur: cauto tamen, ne istiusmodi quaestionibus plus temporis tribuatur et operae quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam adiumenti. — Ex hoc. tutus erit gradus ad usum divinae Scripturae in re theologica. Quo in genere animadvertisse oportet. ad ceteras difficultatis causas. quae in quibusvis antiquorum libris intelligendis fere occurrunt, proprias aliquas in Libris sacris accedere. Eorum enim verbis. auctore Spiritu Sancto, res multae subiiciuntur quae humanae vim aciemque rationis longissime vincunt, divina scilicet mysteria et quae cum illis continentur alia multa; idque nonnunquam ampliore quadam et reconditiore sententia, quam expri-

[1] *De doctr. chr.* III, 4.
[2] S. Hier. ad Pammach.

mere littera et hermeneuticae leges indicare videantur: alios praeterea sensus, vel ad dogmata illustranda vel ad commendanda praecepta vitae, ipse litteralis sensus profecto adsciscit. Quamobrem diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit [1]: Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio Ss. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent; intelligerentque praecipue. Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam sanctus docuit Irenaeus [2]: cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, *hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam*

[1] S. Hier. ad Paulin. *de studio Script., ep.* LIII, 4.
[2] *C. haer.* IV, 26, 5.

Scripturam sacram interpretari [1]. — Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coërcet; sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis. Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis novi Testamenti, aut per Ecclesiam, eodem Sancto adsistente Spiritu, *sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio* [2], eàdem ipse ratione interpretetur; atque ex adiumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae hermeneuticae leges, posse recte probari. In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex au-

[1] *Sess.* III, *cap.* II, *de revel. Cf.* Conc. Trid. *sess.* IV, *decr. de edit. et usu sacr. libror.*

[2] Conc. Vat. *sess.* III, *cap* III. *de fide.*

ctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda: nam, quum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur. — Huius igitur disciplinae magister hac etiam laude floreat oportet, ut omnem theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit Ss. Patrum Doctorumque et interpretum optimorum. Id sane inculcat Hieronymus [1], multumque Augustinus, qui, iusta cum querela, « Si unaquaeque disciplina, inquit, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere [2]! ». Id ipsum sensere et exemplo confirmavere ceteri Patres, qui « divinarum Scripturarum intelligentiam, non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat [3] ». — Iamvero Ss. Patrum, quibus « post Apostolos, sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus

[1] *Ibid.* 6, 7.
[2] Ad Honorat. *de utilit. cred.* XVII, 35.
[3] Rufin. *Hist. eccl.* II, 9.

crevit [1] », summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes: nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur; quippe quos, non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu. — Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere [2]: quae praeceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descen-

[1] S. Aug. c. **Iulian.** II, 10, 37.
[2] *De Gen. ad litt.* l. VIII, c. 7, 13.

dant et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti. — Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collocarint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis [1], incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae, non medullam attingunt, sed corticem rodunt [2].

Illud autem maxime optabile est et necessarium,

[1] Cfr. Clem. Alex. *Strom.* VII, 16; Orig. *de princ.* IV, 8; *in Levit. hom.* 4, 8; Tertull. *de praescr.* 15, *seqq.*; S. Hilar. Pict. *in Matth.* 13, 1

[2] S. Greg. M. *Moral.* XX, 9 (al. 11).

ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima: ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt. Nam quae obiectum sunt fidei vel ab eo consequuntur, ex divinis potissime Litteris studuerunt asserere et stabilire; atque ex ipsis, sicut pariter ex divina traditione, nova haereticorum commenta refutare, catholicorum dogmatum rationem, intelligentiam, vincula exquirere. Neque id cuiquam fuerit mirum qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est iuvenes in Academiis et scholis ita praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda: gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta: « Non enim accipit (theologia) sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis ». Quae sacrae doctrinae tradendae ratio praeceptorem commendatoremque habet theologorum principem, Aquinatem[1]: qui praeterea, ex hac bene perspecta christianae theologiae indole, docuit quemadmo-

[1] *Summ. theol.* p I, q. I, a. 5 ad 2.

dum possit theologus sua ipsa principia, si qui ea forte impugnent, tueri: « Argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum, quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacrae Scripturae disputamus contra haereticos, et per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credat eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem [1] ». — Providendum igitur, ut ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur iuvenes; ne iustam frustrentur spem, neu, quod deterius est, erroris discrimen incaute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparataeque speciе eruditionis. Erunt autem optime comparati, si, quâ Nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, philosophiae et theologiae institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent, quum in re biblica, tum in ea theologiae parte quam *positivam* nominant, in utraque laetissime progressuri.

Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrorum Bibliorum interpretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est: altera tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur.

[1] *Ibid.* a. 8.

Quod quidem nullo alio pacto plene licebit universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiae; quae *per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* [1]. Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in auctoritate etiam sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est: quibus ex libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur. Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti praecipue armatura Dei, quam suadet Apostolus [2], neque vero ad nova hostium arma et praelia insueti. Quod pulcre in sacerdotum officiis sic recenset Chrysostomus: « Ingens adhibendum est studium ut *Christi verbum habitet in nobis abundanter* [3]: neque enim ad unum pugnae genus parati esse debemus, sed multiplex est bellum et varii sunt hostes; neque iisdem omnes utuntur armis, neque

[1] Conc. Vat. *sess.* III. c. III, *de fide.*
[2] Eph. VI, 13, *seqq.*
[3] *Cfr.* Col. III, 16.

uno tantum modo nobiscum congredi moliuntur. Quare opus est, ut is qui cum omnibus congressurus est, omnium machinas artesque cognitas habeat, ut idem sit sagittarius et funditor, tribunus et manipuli ductor, dux et miles, pedes et eques, navalis ac muralis pugnae peritus: nisi enim omnes dimicandi artes noverit, novit diabolus per unam partem, si sola negligatur, praedonibus suis immissis, oves diripere [1] ». Fallacias hostium artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus: iam, quibus praesidiis ad defensionem nitendum, commoneamus. — Est primum in studio linguarum veterum orientalium simulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, eâ clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum; nam ipse *omnia omnibus* [2] fieri debet, paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in ipso est spe* [3]. Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis, quod iam in multis

[1] *De sacerd* IV, 4.
[2] I. Cor. IX, 22.
[3] I. Petr. III, 15.

receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur. — Hos autem ipsos, eiusdem rei gratiâ, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina: perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda: illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum impetant et discerpant: illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur: inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae: inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae or-

dinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur. — Congrediendum secundo loco cum iis, qui suâ physicorum scientia abusi, sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quae quidem insimulationes quum res attingant sensibus obiectas, eo periculosiores accidunt, manantes in vulgus, maxime in deditam litteris iuventutem; quae, semel reverentiam divinae revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem eius fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura doctrinam, quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse ad elementa sanae philosophiae evellenda corrumpendosque mores, teneris animis perverse infusam. Quapropter Scripturae sacrae doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat. — Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant [1] ». Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata: « Quidquid, inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium; quidquid autem de

[1] *In Gen. op. imperf.* IX, 30.

quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, idest catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum [1] ». De cuius aequitate regulae in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura [2] »; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter apparent [3] », seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more. — Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus,

[1] *De Gen. ad litt.* I, 21, 41.
[2] S. Aug. *ib.* II, 9, 20.
[3] *Summa theol.* p. I, q. LXX, a. 1, ad 3.

quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis », ut est S. Thomae sententia [1]. Qui et alio loco prudentissime habet: « Mihi videtur tutius esse, huiusmodi, quae philosophi communiter senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur [2] ». Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas. – Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri. Dolendum enim, multos esse qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur

[1] *In Sent.* II, *dist.* II, q. I, a. 3.
[2] *Opusc.* X.

et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio; qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque eà probe discussa, vel parem abnuunt fidem. Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum: fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps; cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae: at nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. — Haec est anti-

qua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum: *Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem* [1]. Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. Hoc ratum semper habuere Ss. Patres: « Itaque, ait Augustinus, quum illi scripserunt quae ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt [2] »: pronunciatque

[1] *Sess.* III, c. II, *de revel.*

[2] *De consensu Evangel.* l. I, c. 35.

S. Gregorius M.: « Quis haec scripserit, valde supervacanee quaeritur, quum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictavit: ipse scripsit qui et in illius opere inspirator extitit [1] ». Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe quae idem Augustinus ad Hieronymum scripsit: « Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non

[1] *Praef. in Iob*, n. 2.

assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam [1] ».

At vero omni graviorum artium instrumento pro sanctitate Bibliorum plene perfecteque contendere, multo id maius est, quam ut a sola interpretum et theologorum sollertia aequum sit expectari. Eodem optandum est conspirent et connitantur illi etiam ex catholicis viris, qui ab externis doctrinis aliquam sint nominis auctoritatem adepti. Horum sane ingeniorum ornatus, si nunquam antea, ne nunc quidem, Dei beneficio, Ecclesiae deest; atque utinam eo amplius in fidei subsidium augescat. Nihil enim magis oportere ducimus, quam ut plures validioresque nanciscatur veritas propugnatores, quam sentiat adversarios; neque res ulla est quae magis persuadere vulgo possit obsequium veritatis, quam si eam liberrime profiteantur qui in laudata aliqua praestent facultate. Quin facile etiam cessura est obtrectatorum invidia, aut certe non ita petulanter iam traducere illi audebunt inimicam scientiae, fidem, quum viderint a viris scientiae laude nobilibus summum fidei honorem reverentiamque adhiberi. — Quoniam igitur tantum ii possunt religioni importare commodi, quibus cum catholicae professionis gratia felicem indolem ingenii benignum Numen impertiit, ideo in hac acerrima agitatione studiorum quae Scripturas quoquo modo attingunt, aptum sibi quisque eligant studii genus, in quo aliquando excellentes, obie-

[1] *Ep.* LXXXII, 1, *et crebrius alibi.*

cta in illas improbae scientiae tela, non sine gloria, repellant. — Quo loco gratum est illud pro merito comprobare nonnullorum catholicorum consilium, qui ut viris doctioribus suppetere possit unde huiusmodi studia omni adiumentorum copia pertractent et provehant, coactis societatibus, largiter pecunias solent conferre. Optima sane et peropportuna temporibus pecuniae collocandae ratio. Quo enim catholicis minus praesidii in sua studia sperare licet publice, eo promptiorem effusioremque patere decet privatorum liberalitatem; ut quibus a Deo aucti sunt divitiis, eas ad tutandum revelatae ipsius doctrinae thesaurum velint convertere. — Tales autem labores ut ad rem biblicam vere proficiant, insistant eruditi in iis tamquam principiis, quae supra a Nobis praefinita sunt; fideliterque teneant, Deum, conditorem rectoremque rerum omnium, eumdem esse Scripturarum auctorem: nihil propterea ex rerum natura, nihil ex historiae monumentis colligi posse quod cum Scripturis revera pugnet. Si quid ergo tale videatur, id sedulo submovendum, tum adhibito prudenti theologorum et interpretum iudicio, quidnam verius verisimiliusve habeat Scripturae locus, de quo disceptetur, tum diligentius expensa argumentorum vi, quae contra adducantur. Neque ideo cessandum, si qua in contrarium species etiam tum resideat; nam, quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse: neutrum vero si

necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote inania, penitus obsolevere: item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies; sed « veritas manet et invalescit in aeternum [1] ». Quare, sicut nemo sibi arrogaverit ut omnem recte intelligat Scripturam, in qua se ipse plura nescire quam scire fassus est Augustinus [2], ita, si quid inciderit difficilius quam explicari possit, quisque eam sumet cautionem temperationemque eiusdem Doctoris: « Melius est vel premi incognitis sed utilibus signis, quam, inutiliter ea interpretando, a iugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere [3] ». — Consilia et iussa Nostra si probe verecundeque erunt secuti qui subsidiaria haec studia profitentur, si et scribendo et docendo studiorum fructus dirigant ad hostes veritatis redarguendos, ad fidei damna in iuventute praecavenda, tum demum laetari poterunt dignâ se opera sacris Litteris inservire, eamque rei catholicae opem afferre, qualem de filiorum pietate et doctrinis iure sibi Ecclesia pollicetur.

[1] III. Esdr. IV, 38.
[2] Ad Ianuar. *ep.* LV, 21.
[3] *De doctr. chr.* III, 9, 18.

Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae de studiis Scripturae sacrae pro opportunitate monenda et praecipienda, aspirante Deo, censuimus. Iam sit vestrum curare, ut qua par est religione custodiantur et observentur: sic ut debita Deo gratia, de communicatis humano generi eloquiis sapientiae suae, testatius eniteat, optataeque utilitates redundent, maxime ad sacrae iuventutis institutionem, quae tanta est cura Nostra et spes Ecclesiae. Auctoritate nimirum et hortatione date alacres operam, ut in Seminariis, atque in Academiis quae parent ditioni vestrae, haec studia iusto in honore consistant vigeantque. Integre feliciterque vigeant, moderatrice Ecclesia, secundum saluberrima documenta et exempla Ss. Patrum laudatamque maiorum consuetudinem: atque talia ex temporum cursu incrementa accipiant quae vere sint in praesidium et gloriam catholicae veritatis, natae divinitus ad perennem populorum salutem. — Omnes denique alumnos et administros Ecclesiae paterna caritate admonemus, ut ad sacras Litteras adeant summo semper affectu reverentiae et pietatis: nequaquam enim ipsarum intelligentia salutariter ut opus est patere potest, nisi remotâ scientiae *terrenae* arrogantia, studioque sancte excitato eius *quae desursum est* sapientiae. Cuius in disciplinam semel admissa mens, atque inde illustrata et roborata, mire valebit ut etiam humanae scientiae quae sunt fraudes dignoscat et vitet, qui sunt solidi fructus percipiat et ad aeterna referat: inde potissime exardescens animus, ad emolumenta virtutis et divini amoris spiritu vehemen-

tiore contendet: *Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum*[1].

Iam divini auxilii spe freti et pastorali studio vestro confisi, Apostolicam benedictionem, caelestium munerum auspicem Nostraeque singularis benevolentiae testem, vobis omnibus, universoque Clero et populo singulis concredito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Novembris MDCCCXCIII. Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

[1] Ps. XVIII, 2.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
VICTORI IOSEPHO EPISCOPO LEODIENSI

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quum tua Nobis reddita est epistola, Kalendis Novembribus data, haud exciderant animo Nostro testimonia amoris et observantiae, quae implentibus Nobis quinquagesimum Episcopatus annum, praebuerant delecti viri e Leodiensi sodalitio a Sancta Familia appellato, praeeunte Venerabili Fratre Episcopo Tit. Erythrensi, cui munus illud demandaveras. Iamvero oblectationem partam ex iis officiis auctiorem fecit epistola tua, qua Nos explicate docuisti quae sint egregiae istius sodalitatis merita, quantaque floreat beneficentiae laude rerumque optimarum, quae ab ea geruntur ad religionis incrementum et decus. Pergratum itaque Nobis feceris, si piis hisce sodalibus solatium explicaveris, quod ex earum rerum notitia cepimus, Nostramque nunciaveris gratulationem ob ea bona quae, iuvante Dei gratia, praestitere ad ipsius gloriam,

ac demum animos addideris Nostro nomine et verbis ut perstantes in inceptis. cultui solidae virtutis alacriorem in dies operam studiumque navent. — Auspicem interea caelestis luminis et auxilii, quod eorum gressus dirigat et confirmet vires, optamus esse Apostolicam benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, praedictis sodalibus ceteroque clero et populo tuae vigilantiae concredito, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV Novembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
IOSEPHO GEORGIO EPISCOPO BOSNENSI ET SIRMIENSI
ALIISQVE EPISCOPIS PROVINCIAE ECCLESIASTICAE ZAGABRIENSIS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam constans fuerit Croaticae gentis in hanc Sanctam Sedem observantia et fides nunquam obscurum Nobis vel incertum fuit. Quare delectati quidem vehementer, at minime demirati sumus perlectis litteris obsequio plenis, quas una cum Vicario Capitulari aliisque delectis viris dioecesis Zagabriensis, die sacra Hieronymo vestro, ad Nos dedistis, gratulantes de impleto a Nobis feliciter Episcopatus anno quinquagesimo. Plane haec studia vestra communia esse ceteris gentis vestrae fidelibus praeclare ostendit volumen elegans litteris iunctum, quod laicorum fidelium vobis consentientium nomina exhibuit Nobis quamplurima. Atque ea studia ex intimo manasse animi affectu indubie testabatur collatae liberaliter stipis adiectum munus. Equidem hisce testimoniis pietatis vestrae

apprime congruere intelleximus commune votum, iisdem expressum litteris, ut viduitati prospiciatur Zagabriensis sedis. Id et Nobis cordi esse fatemur ultro, proindeque nihil missum fecimus ut vestris satisfieret optatis, neque desinemus in posterum eodem studium curasque Nostras conferre, quibus prosperos daturum exitus favorem confidimus clementis Dei. — Testem interea paternae caritatis Nostrae, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, dilecto filio Vicario Capitulari Zagabriensi, nec non clero et populo vigilantiae vestrae concreditis, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVIII Novembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

INSTRVCTIO

PRO CVRIIS ECCLESIASTICIS REIPVBLICAE AEQVATORIS SVPER INQVISITIONIBVS ET IVDICIIS CRIMINALIBVS IN CAVSIS « MIXTI FORI ».

Ad praecavenda removendaque scandala et omnia dissidia de medio tollenda, quae in Republica Aequatoris contingere solent in agitandis criminum causis, quae *Mixti Fori* communiter audiunt, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, de Apostolica auctoritate SSm̃i D. N. Leonis, divina providentia, Papae XIII, haec, quae sequuntur, statuenda ac decernenda curavit.

Art. I. Vetitum esto Curiis Ecclesiasticis Reipublicae Aequatoris poenam infligere pro quovis titulo personis laicis in causis *Mixti Fori*, nisi prius habitae fuerint necessariae et opportunae probationes tum in genere quoad crimen, tum in specie quoad personam, nec non lata fuerit sententia ad normam iuris, iuxta acta et probata.

Art. II. Praefatae probationes a Ministris Curiae Ecclesiasticae, ab Ordinario ad id specialiter deputatis, assumi debeant, praevio processu, in forma saltem summaria et oeconomica, iuxta instructionem pro causis criminalibus ecclesiasticis, typis editam ab hac S. Congregatione, die XI Iunii anno MDCCCLXXX.

Art. III. Exceptis casibus a canonica Iurisprudentia expressis, ut infra innuitur, prohibetur, durante assumptione actorum processualium, quominus ad capturam delinquentis deveniatur, cum idem intimari potius valeat ad se praesentandum in Curia, ad effectum peragendi ipsius constituta, quo casu dimittatur sub praecepto sese iterum sistendi in die propositionis causae.

Art. IV. In criminibus vero, quae personarum earumque domorum ordinem pacemque saepe perturbant, idest in crimine *stupri, incestus, adulterii* et *concubinatus*, permittitur delinquentis captura, dum acta processualia assumuntur, dummodo gravia indicia vel probationes contra ipsam delinquentis personam existant, nempe:

§ 1° Cum *stuprum, incestus* et *adulterium* per violentiam patrata denuncientur. Violentia autem habetur cum graves minae, percussiones, ostensio et usus armorum concurrant, vel cum abusus sit personae quae in statu alienationis mentis invenitur; et cum denique *stuprum* vel *incestum* delinquens patravit in personam minoris aetatis ex auctoritatis abusu sive tutoriae sive curatoriae. sive quomodocumque directoriae.

§ 2° Idem dicendum cum in crimine graves suspiciones, vel gravia indicia concurrant insidiarum in vitam alicuius ob patratum crimen, vel periculum fugae ipsius delinquentis.

Art. V. Captura pariter permittitur, durante processu, in causa *Furti sacrilegi*.

Art. VI. In huiusmodi criminibus *Mixti Fori* iurisdi-

ctio ex praeventione alterutrius auctoritatis, idest ecclesiasticae vel laicalis dependet.

Art. VII. Cum praeventio steterit ex parte Curiae Episcopalis, omnia ipsa Curia perficiat, usque ad sententiam inclusive, ad tramites ecclesiasticarum praescriptionum.

Hisce ita praestitutis, S. Congregatio, praeter ea quae monentur a sacrosancto Concilio Tridentino in Sess. XIII, Cap. I, de Reformatione, circa severitatem iudicis cum paterna caritate temperandam, prae oculis habendum esse diiudicat quod Doctor egregius S. Isidorus, Hispaniarum decus ac sacrae iurisprudentiae fulgidissimus splendor, inter Episcoporum officia recensuit, nempe: « Nullum « damnare (Episcopum debere) nisi comprobatum, nullum « excommunicare, nisi discussum. Quique ita humilitate « pariter et auctoritate praeesse debet, ut neque per ni-« miam humilitatem suam subditorum vitia convalescere « faciat, neque per immoderantiam severitatis potestatem « exerceat ».

Romae, die XXIX Novembris MDCCCXCIII.

I. CARD. VERGA, PRAEFECTVS.

A. TROMBETTA, *Pro-Secretarius.*

EPISTOLA

DILECTO FILIO
FRANCISCO PICARD PRAEPOSITO GENERALI
AVGVSTINIANORVM AB ASSVMPTIONE
LVTETIAM

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Agnovimus libenter ex litteris tuis, die xxv Novembris datis, proxime susceptum iri, ductu tuo, peregrinationem Hierosolymitanam ad gratias agendas Deo pro iis bonis quae Ecclesiae suae contulit hoc anno, quo Episcopatus Nostri quinquagennalia celebravimus. Quum autem ea peregrinatio similis futura sit piacularibus illis, quae antehac, te duce, peractae sunt ad sancta Palaestinae loca, petiisti obsequenter, ut ea privilegia easque indulgentias, quas peregrinantibus largiti sumus per litteras Nostras datas die vi Martii MDCCCLXXXII, iterumque ac tertio renovavimus die xx Ianuarii MDCCCXCI atque hoc ipso anno die I Februarii, rursus modo fidelibus simile acturis iter concederemus. Id equidem libenter indulgemus, ea tamen lege

ut eaedem quae in praecedentibus litteris Nostris statutae sunt conditiones serventur. Confirmamus praeterea facultates et privilegia tibi per eas, quas diximus, litteras, tamquam peregrinationis moderatori concessa, potestatemque facimus eligendi, ubi res postulet, idoneum sacerdotem, qui facultatibus utens tibi tributis, vicario pro te munere fungatur. Te interea, dilecte fili, sociosque tuos votis Nostris ominibusque prosequimur, ac prosperum vobis iter reditumque datum iri confidimus a Deo, prece interposita caelestis Dominae, cuius salutifero nomine paratam a te navim decorasti. Atque huius prosperitatis auspicem esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam tibi tuaeque peregrinationis sociis universis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die I Decembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

IOANNI PETRO

PATRIARCHAE ANTIOCHENO MARONITARVM

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quam saepe eramus experti devotam Nobis voluntatem tuam et illustris gentis cui praesides, praeclarius hoc anno significatam perspeximus, quum decem lustrorum episcopatu perfuncti, solemni ritu celebravimus redeuntem eius natalem diem. Siquidem non modo omnia quae solent esse signa communis laetitiae et plausus ea die apud vos publice ac privatim edita novimus, sed etiam coram Nobis adstare vidimus missos abs te sacrorum Antistites aliosque Maroniticae nationis delectos viros, qui tuam totiusque gentis gratulationem concinne explicarunt Nobis, simulque a te datas reddidere litteras, plenas officii et amoris. quas benigne accepimus legimusque libentissime. Ornabat litteras collatae liberaliter stipis adiectum munus, cui gratiam addebat ipsa calamitas temporum piorumque largitorum

voluntas erga Nos singularis. Ingens praeterea Nobis attulit solatium pietas sacerdotum ex utroque clero, qui ea mente sacra litarunt, ut ampliora conciliarent Nobis gratiae caelestis auxilia. Tot itaque acceptis tamque illustribus vestrae dilectionis officiis, committere nolumus ut iis videatur defuisse mutuae caritatis Nostrae gratique animi testimonium. Quod dum tibi, Venerabilis Frater, per hasce litteras praebemus, optamus ut sensus animi Nostri per te ceteris patefiant, qui paribus studiis demereri Nos contenderunt. Propitiam interim tibi iisque universis et singulis divinam opem adprecantes, Apostolicam benedictionem tibi, Episcopis ac reliquo clero et fidelibus Maroniticae nationis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VI Decembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
BENEDICTO MARIAE TIT. S. IOANNIS AD PORTAM LATINAM
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI LANGÉNIEVX
ARCHIEPISCOPO RHEMENSI

RHEMOS

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae a te Nobis oblata est diligens et concinna explicatio rerum gestarum in Eucharistico conventu Hierosolymitano, cui praefuisti, haud mediocri solatio Nobis et voluptati fuit. Ac licet studia omnium, qui coetum illum celebrarunt probatissima Nobis extiterint, praeprimis tamen se Nobis commendavit pietas et prudentia tua, qua creditum tibi ministerium obiisti. Quare firma Nos tenet fiducia, numquam remissum iri studium, quo hactenus incensum te novimus in iis curandis, quae ad bonum pertinere intelligis ecclesiarum, quae in Oriente sunt, quo maiore in dies prosperitate floreant arctiusque iungantur huic Apostolicae Sedi. Quae quidem fiducia ab ea secerni non potest, quae

Nos erigit ad bene sperandum, laetam ex acto conventu obventuram salutarium fructuum ubertatem. Nobis sane propositum est partem illam insignem Dominici gregis omni sollicitudine ac diligentia constanter prosequi, velut hactenus prosequuti sumus; curasque Nostras ad eam iuvandam ornandamque collatas, neque inanes neque steriles fore confidimus. Divini interea favoris auspicem, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, Comitatui lectorum virorum, qui ad praedictum conventum agendum praecipuam navarunt operam, itemque clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Decembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
BENEDICTO TIT. S. EVSEBII
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI SANZ Y FORÉS
ARCHIEPISCOPO HISPALENSI
AC VENERABILIBVS FRATRIBVS EPISCOPIS HISPANIARVM
IN CONVENTVM EVCHARISTICVM VALENTIAE CONGREGATIS

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI NOSTER VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Religione vestra dignos, pioque congruentes studio, quo ad agendum Valentiae conventum Eucharisticum exciti estis, sensus reperimus litteris explicatos, quas die xx Novembris ad Nos dedistis, verbis ornatissimis miraque consensione animorum. Ac sane vobis facile aestimare licet quantopere Nos delectarit significatio summae observantiae, qua complexos vos esse profitemini documenta a Nobis profecta pro varia temporum ratione et rerum opportunitate. Quum enim ostendat obsequium illud fidem

vestram ac voluntatem huic Sanctae Sedi coniunctissimam, tum valet plurimum ad exemplum fidelium, qui studiosius Nostras sequuntur voces, quo proniori aure eas vident exceptas a Pastoribus suis. Nec multa a Nobis disseri oportet, ut voluptatem explicemus, quam cepimus ex iis, quae edidistis, indiciis eximiae pietatis in augustum Eucharistiae Sacramentum, cuius pietatis laudem, quasi hereditario nomine a maioribus traditam, iure optimo vindicatis catholicae nationi vestrae. Huic autem sancto fervori nova intelligimus accessisse incrementa ex iis, quae gesta et parata sunt in conventu vestro, unde haud immerito confiditis laetam obventuram fructuum optimorum copiam, vitaeque christianae et morum instaurationem salutarem. Praesertim vero e pio cultu impensius exhibito sanctissimo huic pignori divini amoris scite auguramini caritatis vincula inter cives vestros arctius constrictum iri, et, quae pulcra sunt caritatis germina, concordiam et pacem benefacta sua in patriam vestram large copioseque effusuras. Denique iucunda Nobis affulget spes, fontem auctoremque bonorum omnium, qui eo sacramenti velamine obductus colitur, vestras benigne excepturum preces, ut in hoc certamine valida sua Nos ope sustentet, Ecclesiamque suam in pristinam adserat libertatem. Illum interea vicissim rogantes, ut vos gentemque vestram universam magis magisque confirmet in fide, et divitiis gratiae suae repleat cumulate. Apostolicam benedictionem vobis, dilecte fili Noster, Venerabiles Fratres, nec non ceteris, qui in partem venerunt conventus vestri, itemque

clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Decembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
RECTORI ET DOCTORIBVS FACVLTATIS THEOLOGICAE
INSTITVTI CATHOLICI PARISIENSIS
PARISIOS

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quanta vos teneat reverentia, et quam alacre moveat studium erga personam et auctóritatem, quam gerimus, novo est argumento missa ad Nos per hos dies, uno animo, epistola. In ea sane dileximus plenum, quod testari maturavistis, voluntatum obsequium in amplectendis colendisque tum documentis tum praeceptionibus, quae nuper de studiis Scripturae sacrae pro Apostolico munere visum est impertire: neque minus placuit affirmatum in ea ipsa propositum, velle vos, eisdem in studiis, renovatis viribus, firmius aeque ac securius insistere. Res enimvero agitur permagni ponderis et negotii, eiusque moderandae et provehendae gratia laboriosas iamdiu curas libentissime impendimus: nunc vero salutares inde utilitates aequum omni-

no est. sicut ediximus, expectari. In quo, ut vestri etiam Collegii operâ confidamus, ipsa recte suadet et laus qua floretis doctrinae, et docendi industria, quam vos adhibere multam cognovimus. Profecto inter levamenta et solatia curarum, quas Ecclesiae sollicitudo quotidie affert graviores, illud non ultimum est, atque est pergratum, quod capimus ex Academiis catholicis, ex eis nimirum dignis optimarum disciplinarum domiciliis, tutisque iuventutis ab errorum invalescente lue perfugiis. Nonnullis earum, nominatim in Gallia vestra, iam tum scilicet quum munifico piorum ausu exoriebantur, Ipsimet gratiam tribuimus et comprobationem: omnes autem auctoritate Nostra praescriptisque iuvare studuimus, constanti benevolentia fovebimus; spem certam alentes, ampliorem in dies fructuum honestissimorum copiam esse ab omnibus responsuram. In qua nobili contentione nulli omnino cedat Parisiensis Academia, sed vero cum primis, pro dignitate et amplitudine urbis, excellat oportet; id sane quod prospera rerum coepta, auspicia et vigil sollertia Episcoporum optime pollicentur; idque ipsum est quod eidem, in quinquagennalibus episcopatus Nostri laetitiis, cum votis optamus. Iam, agite, dilecti filii, insignius e sacra Facultate vestra exemplum prodeat: ex qua catholicae sapientiae fontes latius uberiusque deriventur sincero ductu purissimi, praeclaram in spem Ecclesiae et par ornamentum civitatis. Deus autem *scientiarum Dominus*, vos benignus suo lumine illustret, sua virtute confirmet: sitque omnis boni fautrix Apostolica benedictio, quam vobis singulis, alumnisque

disciplinae vestrae, atque universae Academiae, magna caritate largimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Decembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTO FILIO
ALOISIO ROSSI DE GASPERIS
EQVITI TORQVATO
PRAESIDI CVRIALIS COMITATVS EVSTACHIANI

LEO PP. XIII.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Proprius filiorum amor quam multiplici certet se prodere industria, praeclare ostendit initum nuper consilium a Comitatu, cui praesides. Pro vestra enim in Nos pietate, id alacres curavistis, ut ipso in templo, ubi corpus genitricis Nostrae conditum iacet, ad aeternam animae eius, itemque genitoris, requietem sacra piacularia instaurato ritu celebrarentur. Eo scilicet spectavit pietas vestra, ut ex hoc precandi studio quod, natali episcopatus Nostri quinquagesimo recurrente, late in fidelibus excitatum est, solatii fructus non tenuis ad eorum quoque redundaret suavissimas animas, per quos vitam a Deo hausimus, eamdemque, ipsius beneficio, adeo licuit producere incolumem, ut haec tanta hominum gratulatio sit

consecuta. Scite autem perspexistis, in huius anni laetitia hoc pergratum fore Nobis obsequii genus, quo, causâ Nostra, utrique parenti benemerentissimo tam insigne testimonium pietatis publicae obveniret. — Tuam praeterea tuorumque sociorum laudem illud cumulavit quod, sollertiâ vestra, tam decore splendideque funebris ille ritus peractus sit, ut fideles omnium ordinum plurimos, quod Nobis in votis erat, ad comprecandum allexerit. Dum itaque fatemur ultro, vos eo peropportuno pietatis officio egregie Nos fuisse demeritos, gratam vobis expromimus voluntatem; simulque paternae caritatis testem, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, eidemque Comitatui peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XVIII Decembris MDCCCXCIII. Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
ADOLFO LVDOVICO EPISCOPO AVGVSTODVNENSI CABILLONENSI
MATISCONENSI

AVGVSTODVNVM

—

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Vix ullum poterat Nobis afferri munus vel opportunius vel gratius exemplo abs te misso gravis disertaeque orationis, quam haud ita pridem, ex hac Urbe redux, ad fideles habuisti dioecesis tuae. In ea namque visus es Nobis non minus adsertor strenuus Nostrae auctoritatis, qua sanctiorem nullam esse oportet apud eos, qui sese filios Ecclesiae gloriantur, quam felix mentis Nostrae interpres de iis quae prudentiae fideique tuae coram credidimus. — Hoc nimirum vehementer optamus, ut consilia et studia Nostra, ad maximas nobilissimae gentis vestrae utilitates intenta, nequaquam a proposito ex opinione falsa aut ex malevolentia detorqueantur: verum ut, iudicio recto considerata, in suo patescant lumine, atque communi opera rei sacrae

pariter ac civili salutariter eveniant. Quando enim Nos Deus in hac tamquam specula Ecclesiae suae benigno numine collocavit, iure equidem, eo ipso illustrante, prospicere possumus et debemus quibusnam oporteat modis, temporibus apte locisque, causam religionis in populis vel exagitatam tueri vel tranquillam provehere. — Quae tu, Venerabilis Frater, egregie demonstrans, pari orationis copia persecutus es officia, quae catholicos propterea teneant erga Successorem Beati Petri; ipsumque, prae ceteris summi sacerdotii muneribus, ex nomine et animo Patris studiosius commendasti, cui, sicut in sacris Litteris est [1], *obedientia et dilectio* a sapientiae filiis debetur. Haec Nos legentes, suavissime affecti sumus, quippe conscientiâ erecti, nihil admodum providentiae paternae in gentem Gallicam per Nos ,defuisse, sed eam paterna semper caritate, non obscuris testata argumentis, esse omnino complexos. Quod si laetabile est, utrumque officium, et obsequii et amoris, sane a compluribus in filiorum morem Nobis istinc referri, libetque tribuere eis laudem, qui hortationibus Nostris scripto et actione alacres obsecundant; animi tamen aegritudinem quamdam dissimulare non possumus, ideo conceptam quod non paucos videmus easdem hortationes aperte recusare vel certe negligere; homines, frustra confidentes se iustam Nobis adhibere pietatem, qui iusta ab obtemperatione deficiunt. — Ceterum, auspicatis initiis, alia atque alia daturum incrementa Deum spes est, maxime

[1] Eccli. III, 1.

si tempestiva, similiter atque tua, sacrorum Antistitum accesserit cohortatio. Horum suasioni, quae eadem est Nostra, ubi omnes animum ad parendum induxerint, sese Gallia vestra, nihil dubitamus, et calamitosa multa praecavisse et plurimum recepisse prosperitatis et gloriae aliquando gaudebit. Horret enimvero animus ad increscentem ubique audaciam profligatorum hominum, qui omni religionis, legum, humanitatis pudore abiecto, publicam evertere disciplinam potestatisque maiestatem lacessere per scelus connituntur et caedem. Eo igitur maior eminet causa, quamobrem apud vos divisae civium partes, Nobis monentibus, ad summi boni tutelam coalescant; unum ut omnes idemque spectent, id unum sociatis viribus contendant, religionem esse incolumem, cum dignitate liberam: unius enim religionis virtute, quum firmitatem pacemque veram civitatibus, tum singulis recti honestique constantiam parari posse, quotidiani rerum clamant eventus. — Iamvero tibi, Venerabilis Frater, pastoralem tuam sollertiam pro merito gratulantes, pignus peculiaris benevolentiae Nostrae, idemque auspicium divinorum munerum, Apostolicam benedictionem tibi ipsi et clero populoque tuo, impertimus effusam.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Decembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
RECTORI VNIVERSITATIS CATHOLICAE ANDEGAVENSIS
AC DECANO ET DOCTORIBVS FACVLTATIS THEOLOGICAE
ANDEGAVVM

—

LEO PP. XIII.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Egregia, quam communi epistola exhibuistis, significatio animorum penitus obsequentium recentibus Nostris de re biblica litteris, non inexpectata Nobis et peraccepta advenit. Siquidem novimus, quod vosmet commemorastis, Academiam vestram praecipuas inter leges ab Episcopis conditoribus prudentissime datas, singularem custodire observantiam erga Pontificem romanum, quem certissimum veritatis magistrum doctores omnes summa religione audiant et vereantur. Id autem maxime gratum est, videre homines doctrinis probe excultos docendaeque iuventuti deditos, veteris sapientiae firmiter retinere instituta, ad opinionum novitates, praesertim in rebus sacris, caute continere ingenia, opportuna responsa ex huius Apostolicae

Sedis iudicio unice expetere, eaque sic accipere et tueri ut divinae mentis oracula. In quo vos, doctorum numero ut estis, dilecti filii, ita exemplo et magisterio perseveretis hortamur, eoque studiosius quo graviorem colitis facultatem; omni ope efficientes, ut sacrae disciplinae, imprimisque divinae litterae, ab ictibus hostium intactae permaneant, atque honore suo vigeant et fructuum ubertate. — Quantum in Nobis est, si accepta benevolentiae testimonia tam grati profitemini, credite quidem, vobis pietatem istam et sollertiam foventibus, ampliora deinceps non defore. In cuius rei auspicium, Apostolicam benedictionem vobis singulis alumnisque vestris, totique Academiae, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Decembris MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

LEO PP. XIII.

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCXCIII

QVINQVAGESIMO AB INITO EPISCOPATV [1]

I.

DIE XVII FEBRVARII

AD CIVES ITALOS QVI MAGNA FREQVENTIA

SVMMO PONTIFICI GRATVLATVRI ROMAM CONVENERANT

Tra le gioconde solennità di questi giorni, una delle consolazioni più dolci e maggiormente desiderate è quella che Ci arrecano oggi la vostra presenza e il pensiero che vi guida. Liberi omaggi di cittadini italiani ricevemmo similmente ieri sotto le vôlte di questo tempio meraviglioso, custode delle ceneri del Principe degli Apostoli. Ed è bello, che l'ossequio al Pontefice tragga

[1] Cum toto anno frequentes undique Romam advenerint catholici homines, Summo Pontifici gratulaturi ob quinquagenariam episcopatus eius memoriam, ad praecipuos ipsorum coetus habuit Ille pro opportunitate sermonem. — Sic Italos, Scotos, Hibernos, Anglos, Rumenos, Hungaros, Polonos, Austriacos, Belgas, Bohemos, Lorenenses, Alsatianos, Helveticos, Germanos, Hollandienses, iterum Polonos, Triestinos, Melitenses, iterum Hungaros, Graecos-Ruthenos, Orientales allocutus est;

di quando in quando pellegrini della penisola al sepolcro del primo Papa: dacchè se questo sepolcro glorioso è fonte di luce intellettuale e di speranze indefettibili al mondo universo, egli è altresì la genesi umana delle particolari attinenze che stringono l'italica famiglia al Pontificato romano. Poichè nel giorno che la eterna città ereditò, colle spoglie mortali di Pietro, il seggio apostolico, tutta Italia fu assunta a partecipare, in misura proporzionata, alla missione e alle sorti della privilegiata metropoli. — Queste attinenze, che valsero all'Italia un tesoro di benefizî che ne fecondarono il genio, ne protessero tra paurosi frangenti la dignità e l'indipendenza, che la levarono in alto colla gloria e colla grandezza, e le mantennero per secoli il primato sulle nazioni sorelle, queste salutari attinenze sono indissolubili in sè stesse, perchè volute in cielo: ma ne' loro effetti possono essere turbate per opera dell'uomo, e voi sapete sino a qual segno lo furono negli ultimi trent'anni. — Una funesta politica, opposta ai provvidenziali disegni mentovati poc'anzi, pone la sua gloria nel ripudio assoluto e intero del passato, sostituendo il conflitto all'armonia. Quindi strazio e ludibrio dei diritti della Santa Sede, vilipendio delle credenze e degl'istituti cattolici, leggi sovente invasive delle ragioni di Dio. Ora, che debbasi avere ragionevole riguardo ai tempi mutati, non fu mai conteso da Noi. Ma che un paese cattolico, e dalla provvidenza privilegiato cotanto, si voglia tenere violentemente in rotta con quella divina istituzione a cui lo legano peculiari disegni di Dio, è opera dissennata, che non può condurre a buon fine, perchè vale qui il precetto che vieta all'uomo di separare ciò che Iddio ha con-

itemque sodalitates catholicas complures. — Accedit quod ex eisdem sermonibus nonnulli habiti sint sub exitum anni MDCCCXCII et ineunte MDCCCXCIV. — Eos tantum hoc loco referendos censuimus, quos instituta Actuum ratio posceret: ceteros tamen facile videre licet ab aliis collectos et evulgatos.

giunto. Certo, ove si ponesse ben mente all'indole genuina del Pontificato, alla sua storia verace, alla copia e importanza de'beni che pur nell'ordine temporale può ognora aspettarne l'Italia, scemerebbe di molto il numero degli oppositori, e non tarderebbesi a discernere il partito da prendere. Ma diffidenze ingiuste e vieti pregiudizî soverchiano il retto senso in parecchi: e troppe son le passioni che trovano lor pro a mantener vivo questo dissidio, che non avrebbe dovuto essere acceso mai, perchè innaturale e malefico.

Intanto, poichè siffatta è la condizione presente delle pubbliche cose, è debito di buoni cittadini di antivenirne od almeno ripararne, come e quanto è possibile, i disastrosi effetti. Sappiamo bene che in questo intento fanno buona prova chierici e laici in gran numero, i quali, nel modo e nella misura consentita dalle circostanze, spendono volenterosi ingegno e tempo, zelo e sostanze, in opere proficue ed acconce. Nondimeno, perchè risponda più pienamente ai bisogni l'opera de'cattolici, giudicammo non ha guari di rivolgere la parola direttamente al popolo italiano, a fine di recargli accrescimento di lume e di coraggio. Ebbene, quella Nostra parola vi sia norma indeclinabile nell'ordine delle idee, e nel campo dell'azione. Non discordie, non debolezze e sopratutto non inerzia: ma unità nello scopo e consonanza nei mezzi, carità reciproca, animo risoluto ed operosità indefessa nel bene, volontà sempre docile all'autorità legittima e segnatamente a quella preposta da Dio al governo universale della Chiesa.

Restituendovi alle vostre case, recate loro la benedizione del Papa: e fate testimonianza ad amici e ad avversarî che Noi facciamo voti al cielo schietti e ardenti quant'altri mai, per la prosperità di questa plaga di Europa, dove sortimmo i natali; e che delle cose che maggiormente desideriamo sulla terra, una e non ultima è questa, che tolto di mezzo ogni dissidio mercè il vincolo

della pace, Ci sia concesso di stringere tutti i figli della Penisola al Nostro cuore paterno in un medesimo amplesso.

Con questo desiderio e con questa speranza nell'anima, vi rendiamo, diletti figli, le più vive grazie per le manifestazioni filiali, onde avete voluto confortare i tardi Nostri giorni. Imploriamo in ricambio la misericordia e le grazie di Dio onnipotente su di voi, qui presenti, sulle società vostre, sulle vostre famiglie, e su quanti partecipano allo spirito e alle opere vostre.

—

II.

DIE XXI FEBRVARII
AD STEPHANVM PETRVM X AZARIAN
PATRIARCHAM CILICIAE ARMENORVM
TVRCARVM IMPERATORIS EXTRAORDINARIVM LEGATVM

Vivamente si allieta l'animo Nostro al rivedere il patriarca cattolico degli Armeni, novellamente inviato a Noi con onorevolissimo incarico di Sua Maestà Imperiale il Sultano, a Cui piacque testimoniare in solenne forma la sovrana sua letizia nel fausto avvenimento del Nostro Giubileo episcopale. Riceviamo col maggior gradimento i magnifici doni, che ella Ci offre in suo nome, specialmente il cippo monumentale, per importanza storica e religiosa di singolarissimo pregio. Mentre Noi altamente apprezziamo sì cortese grazia del potente Monarca, vediamo con gran compiacenza avvalorarsi per ciò stesso la doverosa gratitudine che già Gli professano quanti sono i cattolici soggetti alla sua Corona. Essi infatti godono segnalare la benignità del Sovrano e la deferenza delle Autorità Imperiali, la cui mercè fruiscono di tanta libertà nell'esercizio della religione, quanta forse altre genti invano si ripromettono. Questa Ci è una luminosa conferma del senno e della civile prudenza della Maestà Sua: conciossiachè per l'equità e la giustizia, insigne vanto delle nazioni più colte, s'accresca agli imperi stabilità e floridezza. Quanto è da Noi, non dubitiamo dare sicurtà che i cattolici figli Nostri, informati ai divini precetti e dalle Nostre esortazioni ammoniti, ben conoscono i sacri doveri che li legano ai principi: e lungi dall'abusare di tale libertà, comproveranno anzi, che più favoriti dall'Imperiale Governo nei

supremi loro interessi, e più sanno essi rispondere di fedeltà e di amore.

Ora Noi ricambiamo il saluto e le felicitazioni di Sua Maestà Imperiale e insieme la generosa munificenza, dimostrata eziandio negli onori conferiti a due illustri membri del sacro Collegio: e unendo i voti Nostri a quelli de' cattolici suoi sudditi, Le auguriamo dal Re dei Re ogni più desiderabile bene alla vera felicità dei suoi popoli. — Di tutto ciò voglia ella, Monsignore, tornar messaggero all'augusto Sovrano: e Noi intanto, accogliendo di gran cuore i sentimenti di filiale devozione de'Nostri carissimi Armeni, impartiamo affettuosamente a lei e a loro tutti l'Apostolica benedizione.

—

III.

DIE XXII FEBRVARII
AD COMITEM ALFONSVM LEFEBVRE DE BÉHAINE
REIPVBLICAE GALLICAE APVD APOSTOLICAM SEDEM
LEGATVM CVM LIBERIS MANDATIS
EXTRAORDINARIA LEGATIONE FVNGENTEM

Nous recevons avec joie de vos mains, Monsieur l'Ambassadeur, la lettre que vous avez mission de Nous remettre de la part de Monsieur le Président de la République Française, et c'est de tout cœur que Nous agréons les souhaits et les félicitations qu'elle Nous apporte, à l'occasion du cinquantième anniversaire de Notre consécration épiscopale. — Dans cet acte de haute courtoisie, relevé encore par les dons magnifiques qui l'accompagnent, il Nous est permis de voir une confirmation des nobles sentiments exprimés naguère dans une solennelle cérémonie. Comme vous, Monsieur l'Ambassadeur, Nous sommes heureux de constater que ces sentiments répondent aux dispositions intimes et au filial dévouement dont le chef suprême de l'Eglise est l'objet, en France, de la part des fidèles. La France, en effet, est unie au Saint-Siège par des liens que de longs siècles ont tressés et que Nous sommes, Nous aussi, jaloux de voir durer perpétuellement dans toute leur traditionnelle vigueur; et Nous adressons journellement au Très-Haut la prière de couvrir la France de sa toute-puissante protection. — Puisse-t-elle toujours demeurer fidèle à ses destinées et multiplier de plus en plus ses œuvres de foi, de zèle et de charité.

Veuillez, Monsieur l'Ambassadeur, en attendant que Nous répondions Nous-même à la lettre, transmettre Nos remerciments à Monsieur le Président, et recevez Nos félicitations pour la manière si noble dont venez de remplir la mission extraordinaire, qu'il vous a confiée.

—

IV.

DIE XXVI FEBRVARII
AD COMITEM FEDERICVM REVERTERA SALANDRA
AVSTRIAE IMPERATORIS ET HVNGARIAE REGIS APVD APOSTOLICAM SEDEM
LEGATVM CVM LIBERIS MANDATIS
EXTRAORDINARIA LEGATIONE FVNGENTEM

Accogliamo con particolare gradimento le felicitazioni, che ella, Signor Ambasciatore, con istraordinario mandato Ci esprime a nome di Sua Maestà Apostolica, l'Imperatore di Austria-Ungheria, nella fausta ricorrenza del Nostro Giubileo episcopale. — È questo nuovo argomento dell'affetto e della devozione filiale che Sua Maestà nutre verso di Noi, reso anche più splendido dal dono che lo accompagna, e dai nobili sensi espressi nella sua lettera, che ella ha testè rimessa nelle Nostre mani. A tale dimostrazione l'animo Nostro si allieta, non tanto per l'onore fatto alla persona Nostra, quanto per l'omaggio tributato al Capo della Chiesa, in nome d'un Impero, di cui la religione cattolica fu sempre la gloria più bella e il principale sostegno.

Anche oggi nell'augusto Capo di questo Impero risplende una singolare pietà, la quale pienamente Ne assicura della costante protezione onde vorrà tutelare gl'interessi religiosi, protezione che di tanti beni è feconda alla Chiesa insieme e allo Stato. Di che se l'Impero ebbe già felicissime prove in tempi e congiunture difficili, avrà del pari a confortarsene in avvenire; e dall'onore stesso della religione si farà più stretta l'unione dei sudditi e più salda la guarentigia di fedeltà all'Impero.

Con questo voto ardentissimo del Nostro cuore porgiamo a Sua Maestà il ricambio dei più eletti auguri per la prosperità della sua Persona augusta e della sua imperiale Famiglia. Ed ella, Signor Ambasciatore, nel farsi interprete presso la Maestà Sua di questi Nostri sentimenti e della Nostra riconoscenza, voglia altresì raffermarle il vivissimo interesse che Ci anima alla vera felicità dell'Impero Austro-Ungarico e della gloriosa Casa d'Absburgo. — A questa e all'augusto suo Capo, come a lei, Signor Ambasciatore, che Ce ne prega, impartiamo ben di cuore l'Apostolica benedizione.

—

V.

DIE XXVII FEBRVARII

AD BARONEM DE LOË

GERMANIAE IMPERATORIS EXTRAORDINARIVM LEGATVM

Nous sommes profondément touché des félicitations et des vœux, que Sa Majesté l'Empereur d'Allemagne Nous fait offrir, par votre intermédiaire, à l'occasion du cinquantième anniversaire de Notre consécration épiscopale. — Nous ne doutons pas que ce nouveau témoignage de haute considération donné publiquement par votre auguste Souverain au Chef de l'Eglise, comme par vous, ne soit justement apprécié par les catholiques de l'Empire. Il contribuera grandement à augmenter en eux ce respect et cette fidélité que, pour le bien des nations, les sujets doivent garder vis à vis des représentants et des dépositaires du pouvoir.

Nous disons à dessein *ce témoignage nouveau;* car Nous n'avons pas oublié, et Nous aimons à Nous souvenir qu'en maintes circonstances déjà, à l'exemple de son illustre aïeul Guillaume I, et s'inspirant des intérêts les plus sacrés du peuple, Sa Majesté s'est montrée disposée à seconder Nos efforts de pacification religieuse.

En ce qui Nous concerne, Nous n'ometterons rien pour obtenir ce résultat, d'où découleront les avantages les plus précieux: la réalisation de désirs legitimes; la paix des consciences, l'accroissement de l'esprit chrétien dans la noble nation Allemande.

Ces mêmes sentiments Nous les exprimerons dans Notre réponse à la lettre que vous venez de Nous remettre; réponse que vous voudrez bien déposer entre les mains de Sa Majesté, alors

que de retour à Berlin, vous Lui rendrez compte de cette honorable Mission, qui vous a été confiée à si juste titre, et que vous remplissez si dignement.

Veuillez, en cette même occasion, Monsieur l'Ambassadeur, assurer Sa Majesté du très-vif intérêt que Nous portons à son auguste Personne et des vœux que Nous formons pour Elle et pour toute la Famille impériale.

—

VI.

DIE XXVIII FEBRVARII
AD PERILLVSTREM VIRVM RAPHAELEM MERRY DEL VAL
REGINAE HISPANIARVM REGNVM REGENTIS APVD APOSTOLICAM SEDEM
LEGATVM CVM LIBERIS MANDATIS
EXTRAORDINARIA LEGATIONE FVNGENTEM

Rien ne saurait Nous être plus agréable que les pieux souhaits et les sentiments si éminemment chrétiens, que vous venez, Monsieur l'Ambassadeur, de Nous adresser au nom de Sa Majesté la Régente d'Espagne votre auguste Souveraine. — Le grand esprit de religion qui la distingue, Lui a fait élever son regard vers le ciel pour rendre grâces de Notre jubilé épiscopal au Dieu infiniment bon, de qui Nous tenons ce que Nous sommes et à qui Nous-même Nous faisons remonter les hommages et les honneurs, dont le Vicaire de Jésus-Christ est aujourd'hui l'objet en Notre personne.

Nous remercions particulièrement Sa Majesté des ferventes prières, que sa haute piété Lui inspire d'offrir au Très-Haut à Notre intention.

Dans une récente solennelle occasion Nous vous avons témoigné, Monsieur l'Ambassadeur, les sentiments dont Nous sommes animé envers Sa Majesté la reine régente et son auguste fils, le roi Alphonse, Notre filleul. Aujourd'hui Nous aimons réitérer l'expression de ces mêmes sentiments, pendant que Nous vous chargeons de faire connaître à Sa Majesté Notre haute satisfaction pour

l'honorable mission qu'Elle vous a confiée, et que vous venez de remplir si dignement. — Et en attendant Nous accordons de tout cœur la bénédiction Apostolique à Sa Majesté le Roi, à son auguste Mère la Reine, à son Gouvernement, à l'Episcopat et à toute le Nation espagnole.

—

VII.

DIE XXVIII FEBRVARII

AD PERILLVSTREM VIRVM

IOANNEM BAPTISTAM DA SILVA FERRÃO DE CAVALHO MARTENS

LVSITANIAE REGIS APVD APOSTOLICAM SEDEM

LEGATVM CVM LIBERIS MANDATIS

EXTRAORDINARIA LEGATIONE FVNGENTEM

Nous lirons avec plaisir la lettre, que vous Nous remettez du Roi de Portugal votre auguste Maître, et Nous agréons de tout cœur les vœux qu'à l'occasion de Nos fêtes jubilaires, vous avez été chargé de Nous interpréter de la part de Leurs Majestés et de toute la Famille royale portugaise. — Dans ce concert des nations à célébrer le cinquantième anniversaire de Notre consécration épiscopale, le Portugal avait sa place marquée d'avance.

L'histoire a fidélement enregistré ses immenses services rendus à la civilisation chrétienne et son généreux dévouement à la cause de l'Eglise et du Saint Siège.

En attendant que Nous puissions le faire directement, veuillez, Monsieur l'Ambassadeur, transmettre Nos remercîments à Leurs Majestés, et recevez pour vous-même Nos félicitations du choix qu'Elles ont fait de votre personne pour la mission, que vous venez de remplir avec tant de distinction.

—

VIII.

DIE I MARTII
AD BARONEM ANTONIVM DE CETTO
BAVARIAE PRINCIPIS REGNVM REGENTIS LEGATVM

Nous ne pouvons qu'être vivement touché des nobles et religieux sentiments, que vous venez de Nous exprimer, au nom de Son Altesse royale le Prince Régent du royaume de Bavière, et Nous agréons de tout cœur les vœux et le don précieux, que vous avez été chargé de Nous offrir de sa part. — Ce sont là d'éloquents témoignages, ajoutés à plusieurs autres, de la fidèle amitié et de la déférence filiale de Son Altesse à Notre égard. En attendant que Nous répondions Nous-même à la lettre autographe qu'Elle a bien voulu Nous écrire, veuillez, Monsieur le Ministre, Lui transmettre Nos remerciments et l'assurance de la paternelle affection, avec laquelle Nous envoyons à Son Altesse et à la Maison royale de Bavière la bénédiction Apostolique. Cette même bénédiction Nous l'accordons aussi, bien volentiers, à la Mission spéciale ici présente et particulièrement à vous, Monsieur le Ministre, qui venez de vous acquitter si noblement du mandat, qui vous a été confié.

—

IX.

DIE I MARTII
AD PRINCIPEM DE LIGNE
BELGARVM REGIS EXTRAORDINARIVM LEGATVM

Nous sommes vivement touché, Monsieur le Prince, des sentiments si nobles et si généreux, que vous venez de Nous exprimer de la part de Sa Majesté Votre Roi, de sa famille, du gouvernement et de votre nation. — Nous agréons d'autant plus ces sentiments et les vœux que vous formez à l'occasion de Nos présentes fêtes, que ce jubilé, comme vous l'avez rappelé tout-à-l'heure, se lie plus étroitement aux origines mêmes de Nos relations avec la Belgique. Ç'a été, en effet, pour y aller remplir les fonctions de Nonce Apostolique, que Nous fûmes, il y a cinquante ans, élevé à la dignité épiscopale. Depuis cette époque le royaume Belge n'a cessé d'avoir une place à part dans Nos souvenirs et dans Notre affection. Nous Nous sommes particulièrement rejoui du concours si empressé, que Nous y avons trouvé dans la grande œuvre, qui Nous est si chère, de l'amélioration des classes laborieuses et de la libération des races opprimées par l'esclavage. — Puisse Notre appel être de plus en plus entendu de toutes les nations et y susciter tous les jours de nouveaux dévouements.

Veuillez, en attendant, Monsieur le Prince, transmettre à Sa Majesté le Roi Nos affectueux remerciments, et soyez félicité vous-même de la haute distinction avec laquelle vous venez de remplir la noble mission qu'Elle vous avait confiée.

X.

DIE II MARTII

AD S. R. E. CARDINALES

Le tre ricorrenze giulive da Lei accennate, Signor Cardinale, del Nostro natalizio, dell'assunzione al Pontificato e della Nostra consacrazione episcopale, sono altrettante cagioni per Noi di levare gli occhi in alto, ed esaltare con animo riconoscente la bontà del Signore. Poichè è la sua misericordia che moltiplica i Nostri giorni; è la sua paterna provvidenza che nel faticoso còmpito dell'apostolato universale Ci sorregge amorosamente, temperando d'inaspettati conforti le frequenti amarezze. E conforto non lieve andiamo provando nella presente occasione del Nostro giubileo, salutato dapertutto con affettuosa letizia, e solennizzato per via di straordinarie dimostrazioni in quest'alma città, la quale vide accorrere a renderci omaggio folte schiere di popolo, rappresentanze di sodalizî, legazioni di principi. Fra tante espansioni di filiale pietà, indimenticabile sarà quella di cui avete potuto essere testimoni il dì diciannovesimo di febbraio in San Pietro. Nessuno spettacolo più bello di quello schietto entusiasmo, erompente dal petto d'italiani e forestieri, affratellati in un pensiero medesimo, e affollati in tanto numero che a contenerli tutti parve angusta la più vasta Basilica del mondo. — Ci gode l'animo di notar questi fatti, perchè tornano a glorificazione della Chiesa, e recano il seme di buone speranze. Lo scopo finale de' presenti festeggiamenti è più alto che la Nostra persona non sia: essi significano onore al Vescovo delle anime, omaggio al padre della gran famiglia cristiana. — E tai sentimenti, saldi e vigorosi nel petto de-

gli uni, si faranno strada presto o tardi, coll' aiuto di Dio, nel cuore degli altri; giacchè in mezzo a tanti disinganni, a sì profondo scompiglio d' idee e di costumi, l' istinto medesimo della propria salvezza ammonisce i popoli di stringersi più che mai alla Chiesa, nelle cui mani è il ministero della salute, di aderire fortemente a questa pietra fondamentale, fuor della quale la giustizia e l' ordine sociale non hanno base che valga.

Piaccia intanto al Signore di far pieni i voti che Ella Ci esprime, Signor Cardinale, a nome de' suoi colleghi, e che Noi accogliamo, come è giusto, con sentimenti particolarissimi di compiacenza e gratitudine. Dal canto Nostro invochiamo ogni più desiderabile bene sopra il sacro Collegio; e ne sia pegno la benedizione Apostolica che ad esso, come pure a tutti i Vescovi, Prelati e quanti altri sono qui presenti, di tutto cuore impartiamo.

—

XI.

DIE IV MARTII

AD PERILLVSTREM VIRVM IOACHIMVM F. VELEZ

COLVMBIANAE REIPVBLICAE PRAESIDIS LEGATVM

Nous agréons bien volontiers, Monsieur le Ministre, les sentiments que vous venez de Nous exprimer tant en votre nom qu'au nom du Vice-Président de la République de Colombie, de son gouvernement et de tout le peuple Colombien. Nous savons combien dans cette République la religion catholique est en honneur et quel vif attachement on y professe pour le Siége Apostolique, et Nous sommes persuadé que ces heureuses dispositions y seront le principe d'une prosperité toujours croissante. — En attendant que Nous répondions à la lettre de Monsieur le Vice-Président, veuillez, Monsieur le Ministre, lui interpréter Nos sentiments, et recevez pour vous-même Nos félicitations pour la filiale piété avec laquelle vous venez de vous acquitter du mandat qu'il vous avait confié.

—

XII.

DIE XXIII MARTII

AD PATRICIOS NOBILITATIS VRBANAE

Non è la prima volta che Ci è dato di accogliere ossequente e devoto il ceto più ragguardevole del romano laicato. Ma la singolarità dell'occasione presente rende più solenne da un lato, e più accettevole dall'altro, questo che oggi Ci offrite, o dilettissimi, filiale omaggio. E Noi lo accettiamo con particolar compiacenza, non tanto per riguardo al privilegio di cospicui natali, quanto perchè godiamo di vedervi fedeli a tradizioni che sono un vero retaggio di onore per le vostre famiglie. Poichè l'aristocrazia romana, nata a guisa di rampolli a' piè del trono papale, seppe ognora mostrarsi degna delle sue origini: che anzi per via di virtù morali e civili le venne fatto di innestar belle pagine nella storia gloriosa del Pontificato. Certo nei momenti trepidi, quando i Papi ebbero maggior uopo di umani presidî, non mancò il patriziato romano di porgere al mondo imitabili esempî di devozione inconcussa e fedeltà operosa. Esempî, che vedemmo effettivamente imitati, non sono ancor cinque lustri, allorchè per la violenza delle armi venne investita questa pacifica metropoli del mondo cristiano. Forse è più d'uno tra voi, che a tutela delle ragioni di San Pietro offerse in quel frangente il suo braccio. — Tali son le memorie, che oggi allietano l'animo Nostro, destate dalla vostra presenza e dalle parole che Ella, Signor Principe, Ci ha indirizzate.

E voi, diletti figli, nella rimembranza di fatti che tanto vi onorano, ritemprate di tratto in tratto ad alti e virtuosi sensi lo

spirito: poichè la speciale condizione de' tempi v' impone speciali doveri, e principalmente costanza incrollabile ne' sani principî, bontà di esempî, carità di opere. Ci è noto il vostro zelo nell' adempimento di ciascuno de' tre doveri accennati: ma pure a star saldi ne' sani principî non è vigilanza che basti, quando ogni arte, ogni blandizia si va adoperando per distaccarvi da Noi e guadagnarvi a una causa non buona. Ponete mente altresì al debito di porgere nobili e virtuosi esempî segnatamente a riparo delle grandi rovine che mena ovunque il rispetto umano, causa insieme ed effetto degl' infiacchiti caratteri. Operando il bene senza timidità e a viso aperto, troverete per fermo imitatori, perchè ha un' efficacia grande l' esempio quando discende dall' alto. In fine vi sia raccomandata sopratutto la carità nelle varie sue forme: la carità che dona, la carità che assiste, la carità che ravvia, che illumina, che promuove il bene colla parola, collo scritto, colle adunanze, coi sodalizi, col mutuo soccorso. Se questa sovrana virtù si praticasse secondo le norme evangeliche, ne starebbe assai meglio il civile consorzio. Cadrebbero le ire feroci, più mansuete sarebbero le plebi, più agevole il componimento dell' ardua questione sociale, che affatica popoli e Stati.

Invochiamo intanto su voi e sulle vostre famiglie la protezione di Dio onnipotente; della quale vogliamo che vi sia auspicio e pegno la benedizione Apostolica, che con effusione di cuore v' impartiamo.

XIII.

DIE XVI NOVEMBRIS
AD FIDELES QVI E REGIONE INSVBRI ET VENETA
MAGNA FREQVENTIA PONTIFICEM SALVTATVM CONVENERANT

Quel Dio, che soavemente provvido Ci vien temperando alle amarezze i conforti, mentre appunto Ne permette aspra tribolazione da una setta tristissima, consola mirabilmente l'animo Nostro con sempre nuove e luminose testimonianze di filiale pietà, offerte a Noi da tutto l'Orbe cattolico, e segnatamente da questa Italia che Ci è prediletta. Sì, ogni prova di fedeltà e di amore che da essa Ci viene, tornaci in singolar modo gradita, per i sacri vincoli, onde siamo a lei più strettamente congiunti: e graditissima Ci è questa che voi Ne porgete, con effusione di animi sì nobilmente cattolici.

Nobilissima invero si è l'ammirazione e la riconoscenza che professate al sommo Iddio, il quale, nell'uno e nell'altro Nostro Giubileo, degnossi rivolgere la unanime esultanza dei popoli credenti a novello splendore di questo Apostolico Seggio; nè men nobile è il rammarico che Ci esprimete, al considerare l'imperversante nequizia che tiene pur sempre ribelli a Noi e a Dio tanti poveri infelici, come or ora voi li diceste, i quali sdegnano la Nostra voce che in nome di lui li richiama. — Con tali parole, ben lo riconosciamo, la vostra fratellevole carità intende principalmente additarci e compiangere molti e molti degl'italiani, cui del pari compiange il cuor Nostro di padre. Più poi vivamente Ne duole, che a fomentare ed inasprire il mal talento di quelli, non si cessi dall'impudente calunnia di rappresentare Noi e il

Clero ed i cattolici più devoti alla Chiesa quasi avversi ed ostili alla pace, alla floridezza, agl' incrementi della patria: e purtroppo la perfida insinuazione fa breccia! — Lo sa Iddio a che mirarono incessanti le precipue cure dell' augusto Nostro ministero; nè dubitiamo di appellare a quanti, scevri l'animo di passione, vogliano riandare gli atti del travaglioso Nostro Pontificato. Per l'Italia più alacremente che mai Ci adoperammo a mantenerle integra e vigorosa l'avita fede, la quale fu ed è il suo bene supremo, il legame più sacro, il principio e l'alimento delle sue glorie più belle. Di queste glorie amorosamente solleciti, Ci studiammo, quanto Ne fu concesso, di favorire scienze, lettere ed arti; mentre con l'obolo de' Nostri figli Ci tornava oltremodo caro, ora alleviarle i pubblici infortuni, ora promuovere nel suo seno ottime istituzioni, in pro specialmente della gioventù, da ogni parte insidiata. Noi, sì a scongiurare da essa peggiori guai, sì a procacciarle ogni migliore vantaggio, volgemmo frequenti e calde esortazioni al Clero ed ai cattolici: e, tra i frutti felici che ne provennero, ecco pur testè il Clero coi dettami della giustizia evangelica procurare la calma nelle plebi agitate; ecco i cattolici (e voi, diletti figli, siete a lodare fra' più solerti), all'ombra della religione, metter mano ad eccellenti opere di civile benemerenza. Tutto ciò, per non dir oltre, sarà dunque un avversare ed osteggiare la patria, o non meglio un amarla di carità non mendace? — Perchè l'amiamo, vorremmo pure, nell'ordine stesso sociale e polico, tutta farle sentire la sovrumana virtù del Papato, che viva sempre e nuova, può in ogni tempo rigenerar le nazioni, avviarle a civiltà e a giustizia, farle prospere e grandi. Se ai consigli ed inviti Nostri, anzichè sospetto e malevolenza, rispondesse leale rettitudine di propositi, per fermo che men travaglio darebbero i problemi più ardui, e l'Italia, più presto forse che altri non creda, potrebbe vedersi fra le nazioni rinnovellata di vita e di

gloria. Ma, che per amarla si debba da Noi tollerare in pacifico silenzio le flagranti offese che quasi impunemente si commettono a suo danno contro l'onestà e la religione, no, la coscienza del dovere mai non potrà consentircelo, mai. — I veri nemici della patria più volte e non dubbiamente li denunziammo Noi, e ne smascherammo gl' intendimenti e ne esponemmo i perniciocissimi effetti: se non che troppe arti si usano per soffocare la Nostra voce e vilipenderla. E quantunque la parola Nostra ritorni tuttodì più veridica, e tanta fiumana di corruttele, di ansie sovversive e di più altre miserie metta in tutti sgomento, chi v'è tuttavia che voglia convincersi dell' errore ed appigliarsi ai rimedî che soli possono ricondurre a salute? Questi, appunto perchè proposti dalla Chiesa e da Noi, si rigettano o si disconoscono; tant'è, non si sa qual più, l'accecamento o l'orgoglio.

Noi intanto, sorretti dal braccio di Dio, continueremo nell'opera di rivendicare i conculcati diritti e la libertà della sua Chiesa; continueremo ad invocare da lui pace e benedizione. Mercè le comuni preghiere, si affretti l'ora delle divine misericordie per questa scaduta Italia, e tanti poveri infelici ritornino compunti a Lui, che è la via, la verità e la vita! — Alla preghiera, dilettissimi figli, congiungete ogni dì più animosi l'azione e il sacrifizio. Altre volte fu da Noi designato il campo in cui l'azione vostra possa utilmente spiegarsi: rammentate e con tutta fedeltà osservate gli ammonimenti Nostri. — Sia concorde il vostro suffragio per assicurarvi che nei Consigli delle provincie e dei municipî vengano tutelati, nel modo che ora è possibile, i vostri vitali interessi. Vedete, nella famiglia, nella scuola, nell' officina, per ogni dove, quanto osi l'irreligione, quanto possa la rea stampa, quante ruine accumuli la licenza; e voi senza posa moltiplicate i i mezzi che vi son consentiti per opporvi un efficace riparo: varrà soprattutto la luce e l'autorità dell'esempio vostro. — In

ciò fare incontrerete bensì sacrificî nè leggieri nè pochi: ma già voi li preveniste, e vi dichiaraste prontissimi di tutto sacrificare per la causa Nostra, che è la causa di Dio: per essa combattendo costanti, degni vi mostrerete dei padri vostri, i quali dall'amor forte della religione attinsero il genio e l'ardore per nobilitare la patria. — Del resto la vostra venuta a festeggiare il Giubileo Nostro, la numerosa e solenne corona che Ci fate intorno, la franca professione della vostra fede, Ne comprovano splendidamente la saldezza de' vostri propositi. Li benedica Iddio e li fecondi ampiamente! Egli, come desiderate, v'ingagliardisca la fede medesima, sostenga e coroni le vostre speranze, e v'infiammi di quello spirito di carità che tutto soffre e tutto opera generoso.

Vi accompagni coi Nostri voti l'Apostolica benedizione, che nel nome di Dio impartiamo, con effusione di cuore, a voi qui presenti, alle vostre famiglie e a tutto il popolo italiano.

XIV.

DIE XVII DECEMBRIS
AD FOEDERATIONEM PIANAM
SOCIETATVM VRBIS CATHOLICARVM

Se v'era cosa desiderabile a degno compimento delle Nostre feste giubilari, egli è appunto il pubblico omaggio di devozione che qui oggi, presso la Confessione del Principe degli Apostoli, concordemente Ci porgete, o benemeriti sodalizî, collegati nell'intento comune di dare impulso e sostegno al bene morale e religioso della vostra Roma. Questo libero tributo di filiale pietà onora voi, e torna di non lieve conforto all'animo Nostro. E sia benedetto il Signore che, scorgendovi colla sua grazia fra tanta malvagità di esempî e pertinacia di tentazioni, vi fa degni di mantenervi saldi nella franca professione della sua fede santissima, che è luce vera, forza feconda, salute unica: e che fu già sin dai primi albori del cristianesimo sì solennemente encomiata nei padri vostri dall'Apostolo delle genti. — Salita al primato del mondo dal dì che fu fatta sede del primato pontificale, è ben giusto che Roma venga segnalandosi per manifestazioni d'ossequio al beato Pietro, che in Noi vive e governa. A Pietro infatti e ai successori suoi ella va debitrice di essere risorta dalle sue rovine ad una vita novella, che tanto sovrasta all'antica, quanto l'eternità al tempo, lo spirito alla materia. Da metropoli del romano impero fu assunta regina di tutto il mondo, ovunque è una anima che creda e speri nel Cristo redentore. Era sede di un regno che disparve, e divenne sede di un regno che non avrà fine mai: onde a lei un titolo di gloria unico al mondo, il nome di *città*

eterna. — Non la Roma de' Scipioni, nè quella dei Cesari, ma la Roma di Cristo fe' splendere in mezzo alle genti dall' uno all'altro polo l' astro della civiltà vera, riformando leggi e costumi, affratellando i popoli e le classi, perfezionando l'uomo individuo e il sociale. La Roma de' Quiriti, forte delle sue legioni, trascinava in catene fra queste mura i popoli e i re soggiogati: la Roma di Pietro e re e popoli trasse al suo grembo soavemente, mercè lo splendore del vero e i dolci sembianti della carità. La prima, tuttochè ricca di senno politico e giuridico, accolse e sanzionò errori e vizî assai: la seconda, maestra indefettibile di ben credere e ben operare, risplende e risplenderà, a guisa di faro celeste, insino alla consumazione dei tempi, indirizzando l'umanità viatrice al finale scopo della vita eterna.

E toccando di beni di ordine temporale e civile, sapete pure, diletti figli, che, se Italia ed Europa non andarono irreparabilmente perdute fra le tenebre e le miserie infinite della barbarie, fu opera e merito della Roma dei Papi. Nelle stesse discordie intestine, nelle fazioni guerresche, ella ora arbitra si assise a comporre differenze fra popoli e principi, ora fece valere la sua possa morale a sollevare oppressi, a contenere prepotenti. E che non fece a conforto delle umane sofferenze? ad incremento delle arti e delle scienze? Essa fu la prima a venire efficacemente in soccorso all' inopia, alle infermità, alla vecchiezza, all' abbandono, a ogni generazione d'infortunî: fu la sola che nei secoli d'ignoranza mantenesse viva la face del sapere, che desse efficace impulso al rinascimento, che fondasse celebri Università, ed un numero infinito d'istituti educativi.

Questo, diletti figli, nei disegni del cielo, è il còmpito di Roma. Contrasterebbe follemente alle vie della Provvidenza chi s'affidasse di poterne rinverdire le glorie pagane, e scoronarla di quel fulgido e non caduco diadema che le pose in fronte il Verbo di Dio

per mano di San Pietro. — E voi, che di queste pacifiche conquiste e veraci grandezze a buon dritto vi gloriate, siatene ancora gli strenui sostenitori. Uniti di mente e di cuore a Noi, circondate di riconoscente affetto la romana Sede, mantenetene saldi, secondo vostro potere, i diritti: serbate viva la fede e fervoroso l'amore al divin Redentore Gesù Cristo, che volle collocare in Roma il seggio del suo regno sulla terra. Si compiaccia Iddio di avvalorarvi nelle buone opere intraprese, e coronare gli sforzi del vostro zelo. Auspice di questa grazia e di ogni altro celeste favore, impartiamo dall'intimo del cuore a quanti siete qui presenti, alle famiglie vostre, a questa Nostra dilettissima Roma l'Apostolica benedizione.

—

XV.

DIE XXIII DECEMBRIS

AD S. R. E. CARDINALES

Molti e segnalati senza dubbio sono i benefici che riconosciamo dall'amorosa Provvidenza divina; e Ci è caro, Signor Cardinale, che il Sacro Collegio li riconosca similmente anch'esso con Noi, e ne renda grazie e lodi a Dio benedetto: giacchè le sole lodi ed i soli ringraziamenti Nostri tornerebbero scarsi verso tanta copia di misericordia. È la mano del Signore, che Ci serba incolumi pure in sì tarda età; che Ci porge il conforto sommo di veder viva per sua grazia la devozione dei popoli all'Apostolico Seggio; che Ci conduce non trepidi in mezzo alle sollecitudini di un ministero che anche in tempi e congiunture men difficili sarebbe riuscito di soverchio peso agli omeri Nostri.

Noi frattanto intesi come siamo a compierne nella misura delle Nostre forze i ponderosi doveri, niuna cosa chiederemmo con più ardore di quella, augurata poc'anzi da Lei, Signor Cardinale, di potere effettivamente essere, come parecchi de' Nostri Predecessori, ministri e apportatori di pace all'Europa e al mondo. — Certo però che, per l'indole stessa del Nostro alto uffizio, Noi ne siamo zelatori e banditori autorevoli; poichè la pace, sia nell'uomo individuo, sia negli umani consorzi, è figlia della giustizia, e la giustizia non vive che di fede: *iustus ex fide vivit.* Ora il sommo sacerdozio cristiano, essendo custode incorruttibile della fede e vindice supremo di ogni giustizia, esso è conseguentemente un apostolato di unificazione e di pace. Date libero il passo a questo apostolato che tiene la sua missione dall'alto; accogliete senza sospetti la parola che vi reca; fate che possa ella penetrare nella

libera coscienza del cittadino, nella compagine della famiglia, nel reggimento degli Stati, e vedrete fiorir di leggieri la tranquillità dell'ordine, aspirazione massima e bisogno supremo dei popoli. — La ragione morale dei torbidi tempi che corrono va principalmente cercata nell'affievolimento delle credenze religiose. Quando l'occhio della mente, perduto di vista il cielo, si affigge tutto alla terra, allora vien meno la carità che unifica, e prevale l'egoismo che divide. Quindi le cupe discordie nascose da parvenze bugiarde; le rivalità e le ambizioni sfrenate; le crescenti inquietudini in tutti i gradi sociali; le cupidità innovatrici, che per ogni dove si avanzano, gravide di scompigli e di lotte. Tra condizioni siffatte, popoli e nazioni sentono pur l'istintivo bisogno della pace, e la cercano affannosamente: ma la pace vera non viene, perchè troppo hanno dimenticato Colui che solo può darla.

Non sarà dunque da sperare un risveglio religioso, che prometta più tranquilli giorni? Sì, è da sperare, e fermamente, perchè Gesù Cristo non abbandona mai l'umanità che ha redenta. Lo spirito di Dio, come nel primo giorno della creazione moveasi sulle acque novelle e le rendea feconde, così nel momento segnato dalla misericordia, scenderà ad aleggiare sul capo delle umane generazioni, e rianimerà, mercè la virtù sua e l'opera della Chiesa, i germi, spenti o mal vivi, della fede divina.

Con sì dolce fiducia nell'animo, accogliamo gli amorevoli sentimenti che il Sacro Collegio Ci esprimeva dianzi per bocca del suo degno Decano. E a giusto ricambio, nelle auguste e soavi solennità di questi giorni Noi pregheremo il divino Infante di voler effondere sul Sacro Collegio copiosamente i suoi celesti carismi. — Intanto a pegno di paterno affetto, impartiamo ad esso, ai Vescovi, ai varî Prelati, e a quanti sono qui presenti, con effusione di cuore, l'Apostolica benedizione.

—

INDEX

MDCCCXCIII

[1] Vid. Adnot. pag. 49.

*

APPENDIX

PRAECIPVI A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE PP. XIII

HABITI SERMONES ANNO MDCCCXCIII

QVINQVAGESIMO AB INITO EPISCOPATV [1]

[1] Vid. Adnot. pag. 391.